C. CORNELII TACITI
OPERA

EX RECENSIONE

GEORG. CHRIST. CROLLII

EDITIO SECUNDA

AUCTIOR ET EMENDATIOR

CURANTE

FRID. CHRIST. EXTER

VOLUMEN QUARTUM

BIPONTI
EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS
CIƆIƆCCXCII.

C. CORNELII TACITI

DE SITU MORIBUS ET POPULIS

GERMANIAE

LIBELLUS.

C. CORNELII TACITI

DE SITU MORIBUS ET POPULIS

GERMANIAE

LIBELLUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Germaniae ſitus cap. 1. Incolae non advenae, ſed indigenae. auctores gentis. Germania novum nomen 2. Hercules. cantus in proelium euntium. Ulixes 3. Germani gens ſincera. habitus corporum 4. Terrae conditio. argentum & aurum non habent nec aeſtimant 5. Germanorum armatura: equitatus: peditatus: ordo militiae 6. Reges: duces: ſacerdotes 7. Feminae ad bellum comites: Veleda, Aurinia 8. Germanorum religiones & ſacra 9. Sortes: auſpicia: equorum praeſagia: captivorum pugna 10. Conſultationes & conventus 11. Accuſationes & poenae 12. Arma iuvenibus data. Principes & comites. comitatus iſtius conditio 13. & conſervatio per bella 14. Quieſcentium deſidia 15. Germanis nullae urbes: ratio aedificandi ſimplex 16. Veſtitus vilis. mulierum veſtitus 17. Matrimonia: dotes: pudicitia 18. Poena adulteriorum. Monogamia quarundam 19. Liberorum educatio. ſororum filii liberis pares 20. Hoſpitalitas: victus: lotio 21. Armati convivae: rixae in-

ter ebrios 22. Potus: cibus 23. Spectacula: alea ludendi temeritas 24. Servorum & libertorum conditio 25. Fenus ignotum. Agricultura 26. Funera: sepulcra: luctus. Nationes e Germania in Gallias transgressae 27. Treveri, Nervii, Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii 28. Batavorum virtus & consanguinei 29. Cattorum regio: habitus: disciplina militaris 30. Vota, quibus virtutem accendunt 31. Usipii. Tencteri 32. Bructeri. Chamavi. Angrivarii 33. Dulgibini. Chasuari. Frisii 34. Chaucorum iustitia & vires 35. Cherusci & Fosi a Cattis victi 36. Cimbrorum gesta. clades a Germanis illatae imperio 37. Suevorum potentia & mores in genere. 38. Suevi Semnones 39. Langobardi: Reudigni: Angli. Herthi sive Terrae matris cultus 40. Hermunduri. Albis fluvius 41. Narisci. Marcomanni. Quadi 42. Marsigni. Lygii. Arii. Naharvali. Gotones. Rugii. Lemovii 43. Suiones, qui regnantur 44. Aestyi, Matris Deûm cultores, succinum legunt: de cuius natura disputatum. Sitones, feminae subditi 45. Peucini, Venedi, Fenni, Germani sint an Sarmatae? 46.

1 GERMANIA omnis, a Gallis Rhaetisque & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus, & insularum immensa spatia complectens; nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Rhaeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, septemtrionali Oceano miscetur. Danubius, molli & clementer edito montis Abnobae iugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meati-

bus erumpit. ſeptimum enim os paludibus hauritur. Ipſos Germanos indigenas crediderim, mi- 2
nimeque aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos: quia nec terra olim, ſed claſſibus advehebantur, qui mutare ſedes quaerebant; & immenſus ultra, utque ſic dixerim, adverſus Oceanus raris ab orbe noſtro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi & ignoti maris, Aſia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, aſperam coelo, triſtem cultu adſpectuque, niſi ſi patria ſit? Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriae & annalium genus eſt) *Tuiſconem Deum, terra editum, & filium Mannum, originem gentis; conditoreſque Manno tres filios* aſſignant, *e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Hermiones, ceteri Iſtaevones vocentur.* Quidam autem, licentia vetuſtatis, *plures Deo ortos pluresque gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalios* affirmant; *eaque vera & antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens & nuper additum: quoniam, qui primi Rhenum tranſgreſſi Gallos expulerint, ac nunc* Tungri, *tunc* Germani *vocati ſint.* ita *nationis nomen in nomen gentis evaluiſſe paulatim, ut omnes, primum a victore ob metum, mox a ſe ipſis, invento nomine* Germani *vocarentur. Fuiſſe apud eos & Herculem* memorant: 3
primumque omnium virorum fortium, ituri in proelia, canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem *Barritum* vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam

ipso cantu augurantur. terrent enim, trepidantve, prout sonuit acies. nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videatur. affectatur praecipue asperitas soni, & fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior & gravior vox repercussu intumescat. Ceterum & *Vlixem*, quidam opinantur, *longo illo & fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adiisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque .....; aram quin etiam Vlixi consecratam, adiecto Laërtae patris nomine, eodem loco olim repertam: monumentaque, & tumulos quosdam, Graecis literis inscriptos, in confinio Germaniae Rhaetiaeque adhuc exstare.* quae neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel ad-
4 dat fidem. Ipse eorum opinionibus accedo, qui *Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam, & sinceram, & tantum sui similem gentem exstitisse,* arbitrantur. unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces & caerulei oculi, rutilae comae; magna corpora, & tantum ad impetum valida; laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam coe-
5 lo solove assueverunt. Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus foeda: humidior, qua Gallias; ventosior, qua Noricum ac Pannoniam adspicit: satis ferax; frugiferarum arborum impa-

tiens. Pecorum foecunda, ſed plerumque impro-
cera. ne armentis quidem ſuus honor, aut glo-
ria frontis. numero gaudent: eaeque ſolae & gra-
tiſſimae opes ſunt. Argentum & aurum propitii
an irati Dii negaverint, dubito. nec tamen affir-
maverim, nullam Germaniae venam argentum
aurumve gignere. quis enim ſcrutatus eſt? poſ-
ſeſſione & uſu haud perinde afficiuntur. Eſt vi-
dere apud illos argentea vaſa, legatis & princi-
pibus eorum muneri data, non in alia vilitate,
quam quae humo finguntur. quamquam proxi-
mi, ob uſum commerciorum, aurum & argen-
tum in pretio habent, formaſque quaſdam no-
ſtrae pecuniae agnoſcunt atque eligunt: interio-
riores ſimplicius & antiquius permutatione mer-
cium utuntur. Pecuniam probant veterem, &
diu notam, Serratos, Bigatoſque. Argentum quo-
que magis quam aurum ſequuntur, nulla affe-
ctione animi, ſed quia numerus argenteorum
facilior uſui eſt promiſcua ac vilia mercantibus.
ne ferrum quidem ſupereſt; ſicut ex genere te-
lorum colligitur. Rari gladiis, aut maioribus lan- 6
ceis utuntur. haſtas, vel ipſorum vocabulo *fra-
meas*, gerunt, anguſto & brevi ferro, ſed ita
acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout
ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent.
& eques quidem ſcuto frameaque contentus eſt:
pedites & miſſilia ſpargunt, pluraque ſinguli,
atque in immenſum vibrant, nudi aut ſagulo le-
ves. Nulla cultus iactatio: ſcuta tantum lectiſſi-
mis coloribus diſtinguunt: paucis loricae: vix

uni alterive cassis, aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui: sed nec variare gyros, in morem nostrum, docentur. in rectum, aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum aestimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti proeliantur, apta & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos, ex omni iuventute delectos, ante aciem locant. Definitur & numerus. *centeni* ex singulis pagis sunt: idque ipsum inter suos vocantur: & quod primo numerus fuit, iam nomen & honor est. Acies per cuneos componitur. cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse, praecipuum flagitium. nec aut sacris adesse, aut concilium inire, ignominioso fas: multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

7 Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. nec regibus infinita aut libera potestas: & duces exemplo potius, quam imperio; si promti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum, neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum: non quasi in poenam, nec ducis iussu; sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. effigiesque, & signa quaedam, detracta lucis, in proelium ferunt. Quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit; sed familiae

& propinquitates: & in proximo pignora; unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illae numerare, aut exsugere plagas pavent. cibosque & hortamina pugnantibus gestant. Me- 8
moriae proditur, quasdam acies, inclinatas iam & labantes, a feminis restitutas, constantia precum & obiectu pectorum, & monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent: adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid & providum putant: nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus, sub divo Vespasiano, Veledam, diu apud plerosque numinis loco habitam: sed & olim Auriniam & complures alias venerati sunt; non adulatione, nec tanquam facerent Deas. Deorum maxime Mercu- 9
rium colunt: cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat. Unde causa & origo peregrino sacro, parum comperi; nisi quod signum ipsum, in modum liburnae figuratum, docet, advectam religionem. Ceterum, nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimulare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant *secretum* illud, quod sola

10 reverentia vident. Auſpicia, ſorteſque, ut qui
maxime, obſervant. Sortium conſuetudo ſimplex.
virgam, frugiferae arbori deciſam, in ſurculos
amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos,
ſuper candidam veſtem temere ac fortuito
ſpargunt. mox, ſi publice conſulatur, ſacerdos civitatis,
ſin privatim, ipſe paterfamiliae, precatus
Deos, coelumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit;
ſublatos, ſecundum impreſſam ante notam,
interpretatur. ſi prohibuerunt, nulla de eadem
re in eundem diem conſultatio: ſin permiſſum,
auſpiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem
etiam hic notum, avium voces volatuſque
interrogare: proprium gentis, equorum quoque
praeſagia ac monitus experiri. Publice aluntur
iiſdem nemoribus ac lucis candidi, & nullo mortali
opere contacti: quos preſſos ſacro curru ſacerdos,
ac rex vel princeps civitatis, comitantur,
hinnituſque ac fremitus obſervant. nec ulli
auſpicio maior fides, non ſolum apud plebem,
ſed apud proceres, apud ſacerdotes. ſe enim miniſtros
Deorum, illos conſcios putant. Eſt & alia
obſervatio auſpiciorum, qua gravium bellorum
eventus explorant. Eius gentis, cum qua bellum
eſt, captivum, quoquo modo interceptum,
cum electo popularium ſuorum, patriis quemque
armis, committunt. victoria huius vel illius
11 pro praeiudicio accipitur. De minoribus rebus
principes conſultant; de maioribus omnes: ita tamen,
ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium
eſt, apud principes pertractentur. Coëunt,

nisi quid fortuitum & subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur. nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut iussi conveniunt, sed & alter, & tertius dies cunctatione coëuntium absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. silentium per sacerdotes, quibus tum & coërcendi ius est, imperatur. mox rex, vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur; auctoritate suadendi magis, quam iubendi potestate. si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt. honoratissimum assensus genus est, armis laudare. Licet 12
apud concilium accusare quoque, & discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto. proditores & transfugas arboribus suspendunt: ignavos & imbelles, & corpore infames, coeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & levioribus delictis, pro modo, poena. equorum pecorumque numero convicti multantur. pars multae regi, vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui iura per pagos vicosque reddant. centeni singulis ex plebe comites, consilium simul

13 & auctoritas, adsunt. Nihil autem neque publicae neque privatae rei, nisi armati agunt. sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. tum in ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque iuvenem ornant. haec apud illos toga, hic primus iuventae honos: ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicae. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adolescentulis assignant: ceteris robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur. nec rubor, inter comites adspici. Gradus quin etiam & ipse comitatus habet, iudicio eius, quem sectantur. magnaque & comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus; & principum, cui plurimi & acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuvenum globo circumdari; in pace decus, in bello praesidium. nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat. expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, &
14 ipsa plerumque fama bella profligant. Cum ventum in aciem, turpe principi, virtute vinci; turpe comitatui, virtutem principis non adaequare. iam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare, praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant: comi-

tes pro principe. Si civitas, in qua orti ſunt,
longa pace & otio torpeat; plerique nobilium
adoleſcentium petunt ultro eas nationes, quae
tum bellum aliquod gerunt: quia & ingrata gen-
ti quies, & facilius inter ancipitia clareſcant, ma-
gnumque comitatum non niſi vi belloque tuea-
re. exigunt enim principis ſui liberalitate illum
bellatorem equum, illam cruentam victricem-
que frameam. nam epulae, & convictus quam-
quam incomti, largi tamen apparatus pro ſti-
pendio cedunt. Materia munificentiae per bella
& raptus. nec arare terram, aut exſpectare an-
num, tam facile perſuaſeris, quam vocare ho-
ſtes & vulnera mereri. pigrum quin immo, &
iners videtur, ſudore acquirere, quod poſſis ſan-
guine parare. Quoties bella non ineunt, mul- 15
tum venatibus, plus per otium, tranſigunt, de-
diti ſomno ciboque: fortiſſimus quiſque ac bel-
licoſiſſimus nihil agens; delegata domus & pena-
tium & agrorum cura feminis, ſenibuſque & in-
firmiſſimo cuique ex familia: ipſi hebent; mira
diverſitate naturae, cum iidem homines ſic ament
inertiam, & oderint quietem. Mos eſt civitati-
bus, ultro auctarium conferre principibus, vel
armentorum, vel frugum: quod pro honore
acceptum, etiam neceſſitatibus ſubvenit. Gau-
dent praecipue finitimarum gentium donis, quae
non modo a ſingulis, ſed & publice mittuntur:
electi equi, magna arma, phalerae, torqueſque.
iam & pecuniam accipere docuimus. Nullas Ger- 16
manorum populis urbes habitari, ſatis notum

eſt: ne pati quidem inter ſe iunctas ſedes. colunt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in noſtrum morem, connexis & cohaerentibus aedificiis: ſuam quiſque domum ſpatio circumdat, ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia aedificandi. ne caementorum quidem apud illos, aut tegularum uſus: materia ad omnia utuntur informi, & citra ſpeciem aut delectationem. quaedam loca diligentius illinunt terra, ita pura ac ſplendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent & ſubterraneos ſpecus aperire, eoſque multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hiemi & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum eiuſmodi locis molliunt; & ſi quando hoſtis advenit, aperta populatur; abdita autem & defoſſa, aut ignorantur, aut eo ipſo fallunt,
17 quod quaerenda ſunt. Tegumen omnibus ſagum, fibula, aut, ſi deſit, ſpina conſertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur, non fluitante, ſicut Sarmatae ac Parthi; ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripae negligenter; ulteriores exquiſitius, ut quibus nullus per commercia cultus; eligunt feras, & detracta velamina ſpargunt maculis pellibuſque belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, niſi quod feminae ſaepius lineis amictibus velantur, eoſque purpura variant, partemque veſtitus ſuperioris in ma-

nicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos. sed & proxima pars pectoris patet; quamquam severa illic matrimonia. Nec ullam morum par- 18
tem magis laudaveris. nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. intersunt parentes & propinqui, ac munera probant. munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur; sed boves, & frenatum equum, & scutum, cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur: atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque (hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant:) sic vivendum, sic pereundum: accipere se, quae liberis inviolata ac digna reddat; quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant. Ergo septae pudicitia 19
agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. literarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum poena parentibus & maritis permissa. accisis crinibus, nudatam, coram propinquis, expellit do-

mo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatae enim pudicitiae nulla venia. non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi, ſeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoque uxoris ſemel tranſigitur. ſic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur. pluſque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges. In omni domo nudi ac ſordidi, in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excreſcunt. ſua quemque mater uberibus alit: nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas. inter eadem pecora, in eadem humo degunt: donec aetas ſeparet ingenuos, virtus agnoſcat. Sera iuvenum venus; eoque inexhauſta pubertas. nec virgines feſtinantur; eadem iuventa, ſimilis proceritas. Pares validaeque miſcentur: ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem honor. quidam ſanctiorem arctioremque hunc nexum ſanguinis arbitrantur, & in accipiendis obſidibus magis exigunt; tanquam ii & animum firmius, & domum latius teneant. Heredes tamen ſucceſſoreſque ſui cuique liberi: & nullum teſtamentum. ſi liberi

non ſunt, proximus gradus in poſſeſſione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratioſior ſenectus: nec ulla orbitatis pretia. Suſcipere tam 21
inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quam amicitias, neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus: utiliter in publicum; quia periculoſiores ſunt inimicitiae iuxta libertatem. Convictibus & hoſpitiis non alia gens effuſius indulget. quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur. pro fortuna quiſque apparatis epulis excipit: cum defecerit, qui modo hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitii & comes, proximam domum non invitati adeunt. nec intereſt. pari humanitate accipiuntur: notum ignotumque, quantum ad ius hoſpitii, nemo diſcernit. abeunti, ſi quid popoſcerit, concedere moris: & poſcendi invicem eadem facilitas. gaudent muneribus: ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hoſpites comis. Statim e ſomno, quem 22
plerumque in diem extrahunt, lavantur, ſaepius calida; ut apud quos plurimum hiems occupat. lauti cibum capiunt: ſeparatae ſingulis ſedes, & ſua cuique menſa. tum ad negotia, nec minus ſaepe ad convivia procedunt armati. diem noctemque continuare potando, nulli probrum. crebrae, ut inter vinolentos, rixae, raro conviciis, ſaepius caede & vulneribus tranſiguntur. ſed & de reconciliandis invicem inimicis, & iun-

gendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis conſultant: tanquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens non aſtuta, nec callida, aperit ad hoc ſecreta pectoris licentia loci. ergo detecta & nuda omnium mens poſtera die retractatur. & ſalva utriuſque temporis ratio eſt: deliberant, dum fingere neſciunt; conſti-
23 tuunt, dum errare non poſſunt. Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus. proximi ripae & vinum mercantur. Cibi ſimplices: agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem. adverſus ſitim non eadem temperantia. Si indulſeris ebrietati, ſuggerendo quantum concupiſcunt, haud minus fa-
24 cile vitiis, quam armis, vincentur. Genus ſpectaculorum unum, atque in omni coetu idem. Nudi iuvenes, quibus id ludicrum eſt, inter gladios ſe, atque infeſtas frameas, ſaltu iaciunt. Exercitatio artem parat, ars decorem: non in quaeſtum tamen, aut mercedem: quamvis audacis laſciviae pretium eſt voluptas ſpectantium. Aleam (quod mirere) ſobrii inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerint, extremo ac noviſſimo iactu de libertate & de corpore contendant. victus voluntariam ſervitutem adit: quamvis iuvenior, quamvis robuſtior, alligari ſe ac venire patitur. ea eſt in re prava pervicacia: ipſi fidem vocant.

ſervos conditionis huius per commercia tradunt, ut ſe quoque pudore victoriae exſolvant. Cete- 25
ris ſervis, non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſteriis, utuntur. Suam quiſque ſedem, ſuos penates regit. frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis, ut colono, iniungit: & ſervus hactenus paret. cetera domus officia uxor ac liberi exſequuntur. Verberare ſervum, ac vinculis & opere coërcere, rarum: occidere ſolent, non diſciplina & ſeveritate; ſed impetu & ira, ut inimicum, niſi quod impune eſt. Libertini non multum ſupra ſervos ſunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate; exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regnantur. ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt: apud ceteros, impares libertini libertatis argumentum ſunt. Fenus agitare, & in 26
uſuras extendere, ignotum: ideoque magis ſervatur, quam ſi vetitum eſſet. Agri pro numero cultorum, ab univerſis in vices occupantur: quos mox inter ſe, ſecundum dignationem, partiuntur: facilitatem partiendi camporum ſpatia praeſtant. Arva per annos mutant: & ſupereſt ager. nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & prata ſeparent, & hortos rigent. ſola terrae ſeges imperatur. Unde annum quoque ipſum non in totidem digerunt ſpecies: hiems, & ver, & aeſtas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur. Funerum nulla am- 27
bitio. id ſolum obſervatur, ut corpora clarorum

virorum certis lignis crementur. ſtruem rogi nec veſtibus, nec odoribus cumulant. ſua cuique arma, quorundam igni & equus adiicitur. Sepulcrum ceſpes erigit: monumentorum arduum & operoſum honorem, ut gravem defunctis, aſpernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem & triſtitiam tarde ponunt. feminis lugere honeſtum eſt; viris meminiſſe. Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc ſingularum gentium inſtituta, ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

28 Validiores olim Gallorum res fuiſſe, ſummus auctorum divus Iulius tradit: eoque credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque ſedes, promiſcuas adhuc, & nulla regnorum potentia diverſas? Igitur inter Hercyniam ſilvam, Rhenumque & Moenum amnes, *Helvetii*, ulteriora *Boii*, Gallica utraque gens, tenuere. manet adhuc *Boihemi* nomen, ſignificatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Araviſci in Pannoniam ab *Oſis*, Germanorum natione, an Oſi ab Araviſcis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc ſermone, inſtitutis, moribus utantur, incertum eſt; quia, pari olim inopia ac libertate, eadem utriuſque ripae bona malaque erant. *Treveri* & *Nervii* circa affectationem Germanicae originis ultro ambitioſi ſunt, tanquam, per hanc

gloriam ſanguinis, a ſimilitudine & inertia Gal-
lorum ſeparentur. Ipſam Rheni ripam haud du-
bie Germanorum populi colunt, *Vangiones, Tri-
boci, Nemetes.* Ne *Ubii* quidem, quamquam Ro-
mana colonia eſſe meruerint, ac libentius *Agrip-
pinenſes*, conditioris ſui nomine, vocentur, ori-
gine erubeſcunt, tranſgreſſi olim, &, experimen-
to fidei, ſuper ipſam Rheni ripam collocati, ut
arcerent, non ut cuſtodirentur. Omnium ha- 29
rum gentium virtute praecipui *Batavi*, non mul-
tum ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colunt,
Cattorum quondam populus, & ſeditione do-
meſtica in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars
Romani imperii fierent. Manet honos, & anti-
quae ſocietatis inſigne. nam nec tributis conte-
mnuntur, nec publicanus atterit: exemti oneri-
bus & collationibus, & tantum in uſum proe-
liorum ſepoſiti velut tela atque arma, bellis re-
ſervantur. Eſt in eodem obſequio & *Mattiacorum*
gens. protulit enim magnitudo populi Romani
ultra Rhenum, ultraque veteres terminos, im-
perii reverentiam. Ita ſede finibuſque in ſua ri-
pa, mente animoque nobiſcum agunt, cetera
ſimiles Batavis, niſi quod ipſo adhuc terrae ſuae
ſolo & coelo acrius animantur. Non numerave-
rim inter Germaniae populos, quamquam trans
Rhenum Danubiumque conſederint, eos, qui
Decumates agros exercent. Leviſſimus quiſque
Gallorum, & inopia audax, dubiae poſſeſſionis
ſolum occupavere. mox limite acto, promotiſ-
que praeſidiis, ſinus imperii, & pars provinciae

30 habentur. Ultra hos *Catti* initium ſedis ab Her-
cynio ſaltu inchoant, non ita effuſis ac paluſtri-
bus locis, ut ceterae civitates, in quas Germa-
nia pateſcit. durant ſiquidem colles, paulatim-
que rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus Hercynius
proſequitur ſimul atque deponit. Duriora genti
corpora, ſtricti artus, minax vultus, & maior
animi vigor. Multum, ut inter Germanos, ratio-
nis ac ſollertiae: praeponere electos, audire prae-
poſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, diſ-
ferre impetus, diſponere diem, vallare noctem,
fortunam inter dubia, virtutem inter certa nu-
merare: quodque rariſſimum, nec niſi ratione
diſciplinae conceſſum, plus reponere in duce,
quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem
ſuper arma, ferramentis quoque & copiis one-
rant. alios ad proelium ire videas, Cattos ad bel-
lum. rari excurſus & fortuita pugna. Equeſtrium
ſane virium id proprium, cito parare victoriam,
cito cedere. velocitas iuxta formidinem, cuncta-
31 tio propior conſtantiae eſt. Et aliis Germanorum
populis uſurpatum rara & privata cuiuſque au-
dentia, apud Cattos in conſenſum vertit, ut pri-
mum adoleverint, crinem barbamque ſubmit-
tere, nec, niſi hoſte caeſo, exuere votivum obli-
gatumque virtuti oris habitum. ſuper ſanguinem
& ſpolia revelant frontem, ſeque *tum demum pre-
tia naſcendi retuliſſe, dignoſque patria ac parentibus*
ferunt. ignavis & imbellibus manet ſqualor. For-
tiſſimus quiſque ferreum inſuper annulum (igno-
minioſum id genti) velut vinculum geſtat, do-

nec ſe caede hoſtis abſolvat. plurimis Cattorum hic placet habitus: iamque canent inſignes, & hoſtibus ſimul ſuiſque monſtrati. omnium penes hos initia pugnarum: haec prima ſemper acies, viſu torva. nam ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt. nulli domus, aut ager, aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemtores ſui; donec exſanguis ſenectus tam durae virtuti impares faciat. Proxi- 32
mi Cattis, certum iam alveo Rhenum, quique terminus eſſe ſufficiat, *Uſipii* ac *Tencteri* colunt. Tencteri, ſuper ſolitum bellorum decus, equeſtris diſciplinae arte praecellunt. nec maior apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. ſic inſtituere maiores, poſteri imitantur. hi luſus infantium, haec iuvenum aemulatio, perſeverant ſenes. inter familiam, & penates, & iura ſucceſſionum, equi traduntur: excipit filius, non, ut cetera, maximus natu, ſed prout ferox bello & melior. Iuxta Tencteros *Bructeri* olim occurre- 33
bant: nunc *Chamavos* & *Angrivarios* immigraſſe narratur, pulſis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuperbiae odio, ſeu praedae dulcedine, ſeu favore quodam erga nos Deorum. nam ne ſpectaculo quidem proelii invidere: ſuper LX millia, non armis teliſque Romanis, ſed, quod magnificentius eſt, oblectationi oculiſque ceciderunt. Maneat, quaeſo, duretque gentibus, ſi non amor noſtri, at certe odium ſui: quando, urgentibus imperii fatis, nihil iam praeſtare Fortuna maius poteſt, quam

34 hostium discordiam. Angrivarios & Chamavos a tergo *Dulgibini* & *Chasuari* cludunt, aliaeque gentes, haud perinde memoratae. A fronte *Frisii* excipiunt. *Maioribus minoribus*que *Frisiis* vocabulum est ex modo virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur; ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus. & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consuevimus. nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus, in se simul atque in Herculem inquiri. mox nemo tentavit: sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum cre-
35 dere, quam scire. Hactenus in Occidentem Germaniam novimus. in Septemtrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim *Chaucorum* gens, quamquam incipiat a Frisiis, ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed & implent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur: idque praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per iniurias assequuntur. Promta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, exercitus; plurimum virorum equo-

rumque: & quiescentibus eadem fama. In late- 36
re Chaucorum Cattorumque *Cherusci* nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. idque iucundius, quam tutius fuit: quia inter impotentes & validos falso quiescas; ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim *boni aequique* Cherusci, nunc *inertes ac stulti* vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum & *Fosi*, contermina gens, adversarum rerum ex aequo socii, cum in secundis minores fuissent.
Eundem Germaniae sinum proximi Oceano *Cim-* 37
bri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, & tam magni exitus fidem. Sexcentesimum & quadragesimum annum Urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone Coss. ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi aevi spatio, multa invicem damna. non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere. quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam caedem Crassi, amisso ipso Pacoro & ipse infra Ventidium deiectus, Oriens obiecerit? At Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Servilio Caepione, Cn. quo-

que Manlio fusis, vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum, tresque cum eo legiones, etiam Caesari abstulerunt. nec impune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium; donec occasione discordiae nostrae & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavere: ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi
38 sunt. Nunc de *Suevis* dicendum est, quorum non una, ut Cattorum Tencterorumve, gens. maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune *Suevi* vocentur. Insigne gentis, obliquare crinem, nodoque substringere. sic Suevi a ceteris Germanis: sic Suevorum ingenui a servis separantur. in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod saepe accidit) imitatione, rarum & intra iuventae spatium: apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac saepe in ipso solo vertice religant. Principes & ornatiorem habent. ea cura formae, sed innoxia. neque enim ut ament amenturve; in altitudinem quandam & terrorem, adituri bella, com-
39 ti, ut hostium oculis, ornantur. *Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum, Semnones* memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam, auguriis patrum & prisca formidine

ſacram, omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coëunt, caeſoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Eſt & alia luco reverentia. nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, ut minor & poteſtatem numinis prae ſe ferens: ſi forte prolapſus eſt, attolli & inſurgere haud licitum. per humum evolvuntur: eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia gentis; ibi regnator omnium Deus, cetera ſubiecta atque parentia. Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum, centum pagis habitantium: magnoque corpore efficitur, ut ſe Suevorum caput credant. Contra *Langobardos* paucitas nobilitat. 40
plurimis ac valentiſſimis nationibus cincti, non per obſequium, ſed proeliis & periclitando tuti ſunt. *Reudigni* deinde, & *Aviones*, & *Angli*, & *Varini*, & *Eudoſes*, & *Suardones*, & *Nuithones*, fluminibus aut ſilvis muniuntur. nec quidquam notabile in ſingulis, niſi quod in commune *Herthum*, id eſt, Terram matrem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Eſt in inſula Oceani *caſtum nemus*, dicatumque in eo vehiculum, veſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali Deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione proſequitur. laeti tunc dies, feſta loca, quaecunque adventu hoſpitioque dignatur. non bella ineunt, non arma ſumunt; clauſum omne ferrum: pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata; donec idem ſacerdos ſatiatam converſatione mortalium Deam

templo reddat. Mox vehiculum & veſtes, &, ſi
credere velis, numen ipſum ſecreto lacu ablui-
tur. ſervi miniſtrant: quos ſtatim idem lacus hau-
rit. arcanus hinc terror, ſanctaque ignorantia,
41 quid ſit id, quod tantum perituri vident. Et haec
quidem pars Suevorum in ſecretiora Germaniae
porrigitur. Propior (ut, quo modo paulo ante
Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar) *Hermun-
durorum* civitas, fida Romanis: eoque ſolis Ger-
manorum non in ripa commercium, ſed peni-
tus, atque in ſplendidiſſima Rhaetiae provinciae
colonia. paſſim & ſine cuſtode tranſeunt: &, cum
ceteris gentibus arma modo caſtraque noſtra oſten-
damus, his domos villaſque patefecimus, non
concupiſcentibus. In Hermunduris *Albis* oritur,
flumen inclitum & notum olim; nunc tantum
42 auditur. Iuxta Hermunduros *Nariſci*, ac deinde
Marcomanni & *Quadi* agunt. Praecipua Marcoman-
norum gloria vireſque, atque ipſa etiam ſedes,
pulſis olim Boiis, virtute parta. nec Nariſci Qua-
dive degenerant. Eaque Germaniae velut frons
eſt, quatenus Danubio protegitur. Marcomannis
Quadiſque uſque ad noſtram memoriam reges
manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui
& Tudri genus: iam & externos patiuntur. ſed
vis & potentia regibus ex auctoritate Romana. ra-
43 ro armis noſtris, ſaepius pecunia iuvantur. Nec
minus valent retro *Marſigni*, *Gothini*, *Oſi*, *Burii*.
terga Marcomannorum Quadorumque claudunt.
e quibus Marſigni & Burii ſermone cultuque
Suevos referunt. Gothinos Gallica, Oſos Panno-

nica lingua coarguit, non esse Germanos; & quod tributa patiuntur. partem tributorum Sarmatae, partem Quadi, ut alienigenis, imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt. Omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus & vertices montium iugumque insederunt. dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt. Ex quibus latissime patet *Lygiorum* nomen, in plures civitates diffusum. valentissimas nominasse sufficiet, *Arios*, *Helveconas*, *Manimos*, *Elysios*, *Naharvalos*. Apud Naharvalos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu: sed *Deos*, interpretatione Romana, *Castorem Pollucemque* memorant. ea vis numini: nomen *Alcis*. nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. Ceterum Arii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces. insitae feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora. atras ad proelia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum adspectum. nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. Trans Lygios *Gotones* regnantur, paulo iam adductius, quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano *Rugii*, & *Lemovii*: omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, & erga reges obsequium.

44 *Suionum* hinc civitates, ipſae in Oceano, praeter viros armaque claſſibus valent. forma navium eo differt, quod utrinque prora paratam ſemper appulſui frontem agit. nec velis miniſtrant, nec remos in ordinem lateribus adiungunt: ſolutum, ut in quibuſdam fluminum, & mutabile, ut res poſcit, hinc vel illinc remigium. Eſt apud illos & opibus honos: eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiſcuo; ſed clauſa ſub cuſtode, & quidem ſervo: quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet Oceanus; otioſae porro armatorum manus facile laſciviunt. enimvero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem, armis praepo-
45 nere, regia utilitas eſt. Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum. quo cingi cludique terrarum orbem, hinc fides, quod extremus cadentis iam Solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut ſidera hebetet; ſonum inſuper audiri, formaſque Deorum & radios capitis adſpici, perſuaſio adiicit. illuc uſque it fama: vera tantum natura. Ergo iam dextro Suevici maris litore *Aeſtyorum* gentes alluuntur: quibus ritus habituſque Suevorum, lingua Britannicae propior. Matrem Deûm venerantur. inſigne ſuperſtitionis, formas aprorum geſtant: id pro armis omnique tutela, ſecurum Deae cultorem etiam inter hoſtes praeſtat. Rarus ferri, frequens fuſtium uſus. Frumenta ceteroſque fructus patientius, quam pro ſolita Germanorum inertia, laborant. Sed &

mare ſcrutantur, ac ſoli omnium ſuccinum, quod
ipſi *Gleſum* vocant, inter vada atque in ipſo lito-
re legunt. nec, quae natura, quaeve ratio gignat,
ut barbaris, quaeſitum compertumve: diu quin
etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, do-
nec luxuria noſtra dedit nomen: ipſis in nullo
uſu. rude legitur, informe perfertur, pretium-
que mirantes accipiunt. Succum tamen arborum
eſſe intelligas, quia terrena quaedam atque etiam
volucria animalia plerumque interlucent, quae
implicata humore, mox, dureſcente materia,
cluduntur. Foecundiora igitur nemora lucoſque,
ſicut Orientis ſecretis, ubi thura balſamaque ſu-
dantur; ita Occidentis inſulis terriſque ineſſe cre-
diderim, quae vicini Solis radiis expreſſa atque
liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tem-
peſtatum in adverſa litora exundant. Si naturam
ſuccini admoto igne tentes; in modum tedae ac-
cenditur, alitque flammam pinguem & olentem,
mox ut in picem reſinamve lenteſcit. Suionibus
Sitonum gentes continuantur. cetera ſimiles, uno
differunt, quod femina dominatur: in tantum
non modo a libertate, ſed etiam a ſervitute de-
generant. hic *Sueviae* finis. *Peucinorum, Venedo-* 46
rumque, & *Fennorum* nationes Germanis an Sar-
matis adſcribam, dubito: quamquam *Peucini*,
quos quidam *Baſtarnas* vocant, ſermone, cul-
tu, ſede ac domiciliis, ut Germani agunt. ſordes
omnium ac torpor procerum, connubiis mixtis,
nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. *Ve-
nedi* multum ex moribus traxerunt. nam quid-

quid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos fingunt, & scuta gestant, & pedum usu ac pernicitate gaudent; quae omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viventibus. *Fennis* mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. sola in sagittis spes, quas, inopia ferri, ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. passim enim comitantur, partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. Securi adversus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit. Cetera iam fabulosa: *Hellusios & Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere.* quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.

IULII AGRICOLAE
V I T A

IULII AGRICOLAE
VITA

BREVIARIUM LIBRI.

Vitas clarorum virorum ſcribere, ſolemne olim: multique ſuas ſcripſere, ut Rutilius & Scaurus, cap. 1. Sed infeſta virtuti tempora & infeſta fuere vitarum ſcriptoribus ſcriptiſque, ut nuper in Arul. Ruſticum & Her. Senecionem, ob Thraſeam & Helvidium laudatos, eorumque libros ſaevitum 2. Sic oppreſſis ſtudiis, non eloquentiam, ſed quod in reditu meliorum temporum nunc liceat, pietatem pollicetur 3. Agricolae maiores, educatio, ſtudia 4. Tirocinio in Britannia Suetonii Paullini ductu poſito 5, uxorem ducit: fit Quaeſtor, Tribunus, Praetor 6. Amittit matrem, & partem bonorum: in Veſpaſiani partes tranſit: legioni XX praeponitur 7. In Britannia Vettio Bolano & Petilio Ceriali obſequentem ſe praeſtat, fortiterque agit 8. Redux, inter patricios adſcitus, Aquitaniae praeficitur. Conſul factus Tacito filiam deſpondet: Britanniae praeponitur 9. Eius inſulae deſcriptio. ultima Thule inſula. mare pigrum 10. Britanniae populi a Germanis, Iberis, Gallis 11. Res militaris: coelum: ſolum: metalla: margarita 12. Romanorum expeditiones in Britanniam, Caeſarumque a Iulio ad Claudium uſque, Britanniae potitorem, geſta 13. Inde praepoſiti Conſulares, Ael. Plautius, Oſtorius Scapula, redactores Britanniae: Didius Gallus, Veranius, Suet. Paullinus 14. Britannorum rebellio, Boadiceae feminae ductu coepta 15. a Suetonio Paullino comprimitur; dein ſuccedunt Petronius Turpilianus, Trebellius

Maximus, Vettius Bolanus 16. Petilius Cerialis, a Vespaf. miffus, victor Brigantum; Iulius Frontinus, victor Silurum 17. Agricola Ordovices, fub eius adventum arma moventes, caedit: Monaque infula territa 18, totam provinciam pacat. Agricolae moderatio, prudentia, abftinentia 19, induftria, artes in mitigandis animis 20, 21. Nova expeditio in gentes incognitas. Agricolae candor in communicanda gloria 22, 23. Confilium de occupanda retinendaque Hibernia 24. Claffis Agricolae. Caledonii ultro Romanos aggreffi 25, confilio ductuque Agricolae pelluntur 26, 27. Ufipiorum cohors Britanniam circumvehitur 28. Agricolae filius moritur. Britanni bellum reparant duce Calgaco 29, qui fuos prudenti oratione adhortatur; Romanorum provincias obtinentium faevitiam, fuperbiam, avaritiam increpat 30, 31; nec fuis eos viribus ftare 32. Agricola quoque fuos hortatur: neceffariam effe virtutem 33; nec hoftes metuendos oftendit 34. aciem inftruit 35. Britannorum acies a Batavis ac Tungris pellitur 36. Romanos circumventuri immiffo equitatu in fugam vertuntur 37. Claffis Agricolae 38. Cuius rebus geftis turbatur Domitianus; fed condit odium, donec provincia decedat 39, 40. Tum accufatores exorti, praegravante viri claritudine; fed abfens abfolvitur 41. Pro confule non it in provinciam 42. Moritur, cum fufpicione veneni, Domitiani iuffu dati 43. Aetas, habitus, honores, opes 44. Opportuna mors, per quam magnis calamitatibus ereptus 45. Super ea queftus; & confolatio auctoris, forma mentis aeterna 46.

1 CLARORUM virorum facta morefque pofteris tradere, antiquitus ufitatum, ne noftris quidem temporibus, quamquam incuriofa fuorum, aetas omifit, quoties magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac fupergreffa eft vitium, parvis magnifque

civitatibus commune, ignorantiam recti & invi-
diam. Sed apud priores, ut agere memoratu di-
gna pronum magiſque in aperto erat, ita cele-
berrimus quiſque ingenio, ad prodendam virtu-
tis memoriam, ſine gratia aut ambitione, bonae
tantum conſcientiae pretio ducebatur. Ac pleri-
que ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius mo-
rum, quam arrogantiam arbitrati ſunt: nec id
Rutilio & Scauro citra fidem aut obtrectationi
fuit. adeo virtutes iiſdem temporibus optime ae-
ſtimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi,
nunc narraturo vitam defuncti hominis, venia
opus fuit: quam non petiſſem, ni incuſaturus
tam ſaeva & infeſta virtutibus tempora. Legimus, 2.
cum Aruleno Ruſtico Paetus Thraſea, Herennio
Senecioni Priſcus Helvidius laudati eſſent, capi-
tale fuiſſe: neque in ipſos modo auctores, ſed
in libros quoque eorum ſaevitum, delegato Tri-
umviris miniſterio, ut monumenta clariſſimorum
ingeniorum in comitio ac foro urerentur, (ſcili-
cet, illo igne vocem populi Romani, & libertatem
Senatus, & conſcientiam generis humani abole-
ri arbitrabantur); expulſis inſuper ſapientiae pro-
feſſoribus, atque omni bona arte in exſilium
acta, ne quid uſquam honeſtum occurreret. De-
dimus profecto grande patientiae documentum:
& ſicut vetus aetas vidit, quid ultimum in liber-
tate eſſet; ita nos, quid in ſervitute, ademto per
inquiſitores & loquendi audiendique commercio.
memoriam quoque ipſam cum voce perdidiſſe-
mus, ſi tam in noſtra poteſtate eſſet oblivifci,

3 quam tacere. Nunc demum redit animus. Sed quamquam, primo ſtatim beatiſſimi ſeculi ortu, Nerva Caeſar res olim diſſociabiles miſcuerit, principatum ac libertatem; augeatque quotidie felicitatem imperii Nerva Traianus, nec ſpem modo ac votum Securitas Publica, ſed ipſius voti fiduciam ac robur aſſumſerit: natura tamen infirmitatis humanae tardiora ſunt remedia, quam mala; & ut corpora lente augeſcunt, cito exſtinguuntur, ſic ingenia ſtudiaque oppreſſeris facilius, quam revocaveris. ſubit quippe etiam ipſius inertiae dulcedo: & inviſa primo deſidia poſtremo amatur. quid? ſi per quindecim annos, grande mortalis aevi ſpatium, multi fortuitis caſibus, promtiſſimus quiſque ſaevitia Principis, interciderunt? Pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum, ſed etiam noſtri ſuperſtites ſumus; exemtis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad ſenectutem, ſenes prope ad ipſos exactae aetatis terminos, per ſilentium venimus. Non tamen pigebit, vel incondita ac rudi voce, memoriam prioris ſervitutis, ac teſtimonium praeſentium bonorum compoſuiſſe. Hic interim liber honori Agricolae, ſoceri mei, deſtinatus, profeſſione pietatis aut laudatus erit, aut excuſatus.

4 Cnaeus Iulius Agricola, vetere & illuſtri Foroiulienſium colonia ortus, utrumque avum Procuratorem Caeſarum habuit: quae equeſtris nobilitas eſt. Pater Iulius Graecinus, ſenatorii ordinis, ſtudio eloquentiae ſapientiaeque notus, iiſque virtutibus iram Caii Caeſaris meritus. nam-

que M. Silanum accuſare iuſſus, &, quia abnue-
rat, interfectus eſt. Mater Iulia Procilla fuit, ra-
rae caſtitatis. in huius ſinu indulgentiaque edu-
catus, per omnem honeſtarum artium cultum
pueritiam adoleſcentiamque tranſegit. Arcebat
eum ab illecebris peccantium, praeter ipſius bo-
nam integramque naturam, quod ſtatim parvu-
lus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam ha-
buerit, locum Graeca comitate & provinciali par-
ſimonia mixtum ac bene compoſitum. Memoria
teneo, ſolitum ipſum narrare, *ſe in prima iuven-
ta ſtudium philoſophiae acrius, ultraque quam con-
ceſſum Romano ac Senatori, hauſiſſe, ni prudentia
matris incenſum ac flagrantem animum coërcuiſſet.*
Scilicet ſublime & erectum ingenium pulchri-
tudinem ac ſpeciem excelſae magnaeque gloriae
vehementius, quam caute, appetebat. mox mi-
tigavit ratio & aetas: retinuitque, quod eſt dif-
ficillimum, ex ſapientia modum. Prima caſtro- 5
rum rudimenta in Britannia Suetonio Paullino,
diligenti ac moderato duci, approbavit: electus,
quem contubernio aeſtimaret. Nec Agricola li-
center, more iuvenum, qui militiam in laſciviam
vertunt, neque ſegniter, ad voluptates & com-
meatus, titulum Tribunatus & inſcitiam retulit:
ſed noſcere provinciam, noſci exercitui, diſce-
re a peritis, ſequi optimos; nihil appetere iacta-
tione, nihil ob formidinem recuſare; ſimulque
anxius & intentus agere. Non ſane alias exercita-
tior, magiſque in ambiguo Britannia fuit. truci-
dati veterani, incenſae coloniae, intercepti exer-

citus: tum de ſalute, mox de victoria certavere. Quae. cuncta etſi conſiliis ductuque alterius agebantur, ac ſumma rerum, & reciperatae provinciae gloria in ducem ceſſit; artem & uſum & ſtimulos addidere iuveni: intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus ſiniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala.

6 Hinc ad capeſſendos magiſtratus in Urbem digreſſus, Domitiam Decidianam, ſplendidis natalibus ortam, ſibi iunxit: idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem, & invicem ſe anteponendo: niſi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae eſt. Sors Quaeſturae provinciam Aſiam, Proconſulem Salvium Titianum dedit. quorum neutro corruptus eſt: quamquam & provincia dives, ac parata peccantibus; & Proconſul, in omnem aviditatem pronus, quantalibet facilitate redemturus eſſet mutuam diſſimulationem mali. Auctus eſt ibi filia, in ſubſidium & ſolatium ſimul. nam filium, ante ſublatum, brevi amiſit. Mox inter Quaeſturam ac Tribunatum plebis, atque etiam ipſum Tribunatus annum quiete & otio tranſiit; gnarus ſub Nerone temporum, quibus inertia pro ſapientia fuit. Idem Praeturae tenor, & ſilentium. nec enim iuriſdictio obvenerat. Ludos, & inania honoris, moderationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum reco-

gnoscenda, diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium Respublica quam Neronis sensisset. Sequens annus gravi vulnere ani- 7
mum domumque eius afflixit. nam classis Othoniana, licenter vaga, dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit; praediaque ipsa & magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola, nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus, ac statim in partes transgressus est. Initia principatus, ac statum Urbis Mucianus regebat, admodum iuvene Domitiano, & ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam, integreque ac strenue versatum, vicesimae legioni, tarde ad sacramentum transgressae, praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur. quippe Legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat: nec Legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum, suo an militum ingenio. ita successor simul & ultor electus, rarissima moderatione, maluit videri invenisse bonos, quam fecisse. Prae- 8
erat tunc Britanniae Vettius Bolanus, placidius, quam feroci provincia dignum est. temperavit Agricola vim suam, ardoremque compescuit, ne incresceret; peritus obsequi, eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. habuerunt virtutes spatium exemplorum. sed primo Cerialis modo labores & discrimina, mox & gloriam com-

municabat; saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu, praefecit. nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem & ducem, ut minister, fortunam referebat. ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando, extra
9 invidiam, nec extra gloriam erat. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae in primis dignitatis, administratione, ac spe Consulatus, cui destinarat. Credunt plerique, militaribus ingeniis subtilitatem deesse; quia castrensis iurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissionumque divisa. ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus, & saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona. tristitiam, & arrogantiam, & avaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam saepe boni indulgent, ostentanda virtute, aut per artem quaesivit. procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus Procuratores, & vincere inglorium, & atteri sordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus, ac statim

ad ſpem Conſulatus revocatus eſt, comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc ſuis ſermonibus, ſed quia par videbatur. haud ſemper errat fama; aliquando & elegit. Conſul egregiae tum ſpei filiam iuveni mihi deſpondit, ac poſt Conſulatum collocavit: & ſtatim Britanniae praepoſitus eſt, adiecto pontificatus ſacerdotio. *Britanniae* ſitum populoſque, multis ſcriptoribus memoratos, non in comparationem curae ingeniive referam; ſed quia tum primum perdomita eſt. itaque, quae priores, nondum comperta, eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, inſularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, ſpatio ac coelo in Orientem Germaniae, in Occidentem Hiſpaniae obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inſpicitur: Septemtrionalia eius, nullis contra terris, vaſto atque aperto mari pulſantur. Formam totius Britanniae, Livius veterum, Fabius Ruſticus recentium eloquentiſſimi auctores, oblongae ſcutulae vel bipenni aſſimilavere. & eſt ea facies citra Caledoniam, unde & in univerſum fama eſt tranſgreſſa. ſed immenſum & enorme ſpatium procurrentium extremo iam litore terrarum, velut in cuneum, tenuatur. Hanc oram noviſſimi maris tunc primum Romana claſſis circumvecta, *inſulam eſſe Britanniam*, affirmavit, ac ſimul incognitas ad id tempus inſulas, quas *Orcadas* vocant, invenit domuitque. diſpecta eſt & *Thule* quadamtenus: nix & hiems appetebat; ſed mare pigrum & grave remigantibus. perhibent, *ne*

ventis quidem perinde attolli: credo, quod rariores terrae montesque causa ac materia tempestatum; & profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus, neque quaerere huius operis est, ac multi retulere. unum addiderim: nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, & iugis etiam atque montibus inseri velut in suo.

11 Ceterum, Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii: atque ex eo argumenta. namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus, *Germanicam originem* asseverant. Silurum colorati vultus, & torti plerumque crines, & posita contra Hispania, *Iberos veteres traiecisse, easque sedes occupasse,* fidem faciunt. Proximi Gallis & similes sunt: seu durante originis vi; seu, procurrentibus in diversa terris, positio coeli corporibus habitum dedit. in universum tamen aestimanti, *Gallos vicinum solum occupasse,* credibile est. eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione: sermo haud multum diversus. in deposcendis periculis eadem audacia; &, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus: mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. quod & Britannorum olim victis evenit: ceteri

manent, quales Galli fuerunt. In pedite robur: 12
quaedam nationes & curru proeliantur. honestior auriga; clientes propugnant. Olim regibus parebant; nunc per principes factionibus & studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur. Coelum crebris imbribus ac nebulis foedum: asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, & nox clara, & extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. *quod si nubes non officiant, adspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere & exsurgere, sed transire*, affirmant. scilicet extrema & plana terrarum, humili umbra, non erigunt tenebras; infraque coelum & sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque & cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, foecundum. tarde mitescunt, cito proveniunt: eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum coelique. Fert Britannia aurum, & argentum, & alia metalla, pretium victoriae. Gignit & Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. quidam *artem abesse legentibus* arbitrantur: *nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli; in Britannia, prout expulsa sint, colligi.* ego facilius crediderim naturam margaritis deesse, quam nobis avaritiam. Ipsi Britanni delectum, ac tri- 13
buta, & iniuncta imperii munera, impigre ob-

eunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti, ut pareant, nondum, ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, & in Rempublicam versa Principum arma; ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. *consilium* id divus Augustus vocabat, Tiberius *praeceptum*. Agitasse C. Caesarem de intranda Britannia, satis constat, ni velox ingenio, mobilis poenitentia, & ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque, & assumto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturae mox fortunae fuit. domitae gentes, capti reges, & monstratus fatis Ve-
14 spasianus. Consularium primus *Aelianus Plautius* praepositus, ac subinde *Ostorius Scapula*, uterque bello egregius. redactaque paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae: addita insuper veteranorum colonia. quaedam civitates Cogiduno regi donatae: (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit:) vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis & reges. Mox *Didius Gallus* parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium *Veranius* excepit, isque intra annum exstinctus est. *Suetonius* hinc *Paullinus* biennio prosperas

res habuit, subactis nationibus, firmatisque prae-
sidiis: quorum fiducia Monam insulam, ut vi-
res rebellibus ministrantem, aggressus, terga oc-
casioni patefecit. Namque absentia Legati remo- 15
to metu, Britanni agitare inter se mala servitu-
tis, conferre iniurias & interpretando accendere:
nihil profici patientia, nisi ut graviora, tanquam
ex facili tolerantibus, imperentur. singulos sibi olim
reges fuisse, nunc binos imponi: e quibus Legatus
in sanguinem, Procurator in bona saeviret. aeque
discordiam praepositorum, aeque concordiam subie-
ctis exitiosam. alterius manus, Centuriones alterius,
vim & contumelias miscere. nihil iam cupiditati, ni-
hil libidini exceptum. in proelio fortiorem esse, qui
spoliet: nunc ab ignavis plerumque & imbellibus eri-
pi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus, tan-
quam mori tantum pro patria nescientibus. quantum
enim transisse militum, si sese Britanni numerent?
sic Germanias excussisse iugum: & flumine, non
Oceano, defendi. sibi patriam, coniuges, parentes:
illis avaritiam & luxuriam causas belli esse: reces-
suros, ut divus Iulius recessisset. Modo virtutes maio-
rum suorum aemularentur: neve proelii unius aut
alterius eventu pavescerent. plus impetus, maiorem
constantiam penes miseros esse. iam Britannorum etiam
Deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui
relegatum in alia insula exercitum detinerent. iam
ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. porro in
eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quam
audere. His atque talibus invicem instincti, Boa- 16
dicea, generis regii femina, duce (neque enim

fexum in imperiis difcernunt) fumfere univerfi bellum: ac fparfos per caftella milites confectati, expugnatis praefidiis, ipfam coloniam invafere, ut fedem fervitutis. nec ullum in barbaris faevitiae genus omifit ira & victoria. quod nifi Paullinus, cognito provinciae motu, propere fubveniffet, amiffa Britannia foret: quam unius proelii fortuna veteri patientiae reftituit, tenentibus arma plerifque, quos confcientia defectionis, & proprius ex Legato timor agitabat. Hic cum, egregius cetera, arroganter in deditos, &, ut fuae quoque iniuriae ultor, durius confuleret; miffus *Petronius Turpilianus*, tanquam exorabilior, & delictis hoftium novus, eoque poenitentiae mitior. compofitis prioribus, nihil ultra aufus, *Trebellio Maximo* provinciam tradidit. Trebellius fegnior, &, nullis caftrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. didicere iam barbari quoque, ignofcere vitiis blandientibus: & interventus civilium armorum praebuit iuftam fegnitiae excufationem: fed difcordia laboratum; cum affuetus expeditionibus miles otio lafciviret. Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precario mox praefuit: ac velut pacti, exercitus licentiam, dux falutem. haec feditio fine fanguine ftetit. Nec *Vettius Bolanus*, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam difciplina. eadem inertia erga hoftes, fimilis petulantia caftrorum: nifi quod innocens Bolanus, & nullis delictis invifus, caritatem paraverat lo-

co auctoritatis. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus & Britanniam reciperavit; magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit *Petilius Cerialis.* Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, aggressus: multa proelia, & aliquando non incruenta: magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem *Iulius Frontinus*, vir magnus, quantum licebat, validamque & pugnacem Silurum gentem armis subegit; super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus. Hunc Britanniae sta- 17

18 tum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit, cum & milites, velut omissa expeditione, ad securitatem, & hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas, haud multo ante adventum eius, alam, in finibus suis agentem, prope universam obtriverat: eoque initio erecta provincia; & quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis Legati animum opperiri. Tum Agricola, quamquam transacta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumta apud militem illius anni quies, tarda & contraria bellum inchoaturo, & plerisque, custodiri suspecta, potius videbatur, ire obviam discrimini statuit. contractisque legionum vexillis, & modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili peri-

culo eſſet, erexit aciem. caeſaque prope univer-
ſa gente, non ignarus, inſtandum famae, ac,
prout prima ceſſiſſent, fore univerſa; Monam
inſulam, a cuius poſſeſſione revocatum Paulli-
num rebellione totius Britanniae, ſupra memo-
ravi, redigere in poteſtatem animo intendit. Sed,
ut in dubiis conſiliis, naves deerant: ratio & con-
ſtantia ducis tranſvexit. depoſitis omnibus ſarci-
nis, lectiſſimos auxiliarium, quibus nota vada,
& patrius nandi uſus, quo ſimul ſeque & arma
& equos regunt, ita repente immiſit, ut obſtu-
pefacti hoſtes, qui claſſem, qui naves, qui ma-
re reſpectabant, nihil arduum aut invictum cre-
diderint ſic ad bellum venientibus. Ita petita
pace, ac dedita inſula, clarus ac magnus habe-
ri Agricola: quippe cui ingredienti provinciam,
quod tempus alii per oſtentationem, aut officio-
rum ambitum tranſigunt, labor & periculum
placuiſſet. Nec Agricola, proſperitate rerum in
vanitatem uſus, *expeditionem* aut *victoriam* voca-
bat, victos continuiſſe: ne laureatis quidem ge-
ſta proſecutus eſt; ſed ipſa diſſimulatione famae
famam auxit, aeſtimantibus, quanta futuri ſpe
19 tam magna tacuiſſet. Ceterum animorum provin-
ciae prudens, ſimulque doctus per aliena expe-
rimenta, parum profici armis, ſi iniuriae ſeque-
rentur, cauſas bellorum ſtatuit excidere. A ſe
ſuiſque orſus, primam domum ſuam coërcuit:
quod pleriſque haud minus arduum eſt, quam
provinciam regere. agere nihil per libertos ſer-
voſque publicae rei: non ſtudiis privatis, nec

ex commendatione aut precibus Centurionum, milites accire; sed optimum quemque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse: officiis & administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare, cum peccassent. Frumenti & tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis, quae, in quaestum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. namque per ludibrium assidere clausis horreis, & emere ultro frumenta, ac vendere pretio cogebantur. devortia itinerum, & longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota & avia referrent, donec, quod omnibus in promtu erat, paucis lucrosum fieret. Haec primo statim anno 20
comprimendo, egregiam famam paci circumdedit; quae vel incuria, vel tolerantia priorum, haud minus quam bellum timebatur. Sed ubi aestas advenit, contracto exercitu, militum in agmine laudare modestiam; disiectos coërcere: loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetentare: & nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur: atque ubi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus, iram posuere; & praesidiis castellisque circumdatae, tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transi-

21 erit. Sequens hiems saluberrimis consiliis absumta. namque, ut homines dispersi ac rudes, eoque in bello faciles, quieti & otio per voluptates assuescerent; hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promtos, & castigando segnes. ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire; & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor, & frequens toga: paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum elegantiam. idque apud imperitos *humanitas* vocabatur, cum pars servitutis
22 esset. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Taum (aestuario nomen est) nationibus. qua formidine territi hostes, quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum, lacessere non ausi. ponendisque insuper castellis spatium fuit. Annotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum. Crebrae eruptiones. nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. ita intrepida ibi hiems, & sibi quisque praesidio, irritis hostibus, eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare, tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola unquam per alios gesta avidus interce-

pit: seu Centurio, seu Praefectus, incorruptum
facti testem habebat. Apud quosdam *acerbior in
conviciis* narrabatur, ut bonis comis, ita adver-
sus malos iniucundus. ceterum ex iracundia ni-
hil supererat. secretum & silentium eius non ti-
meres: honestius putabat offendere, quam odis-
se. Quarta aestas obtinendis, quae percurrerat, 23
insumta. Ac si virtus exercituum & Romani no-
minis gloria pateretur, inventus in ipsa Britan-
nia terminus. nam Clota & Bodotria, diversi ma-
ris aestibus per immensum revectae, angusto ter-
rarum spatio dirimuntur. quod tum praesidiis fir-
mabatur: atque omnis propior sinus tenebatur,
summotis velut in aliam insulam hostibus. Quin- 24
to expeditionum anno, nave prima transgressus,
ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac pro-
speris proeliis domuit: eamque partem Britan-
niae, quae Hiberniam adspicit, copiis instruxit,
in spem magis, quam ob formidinem; si qui-
dem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hi-
spaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna,
valentissimam imperii partem magnis invicem usi-
bus miscuerit. Spatium eius, si Britanniae com-
paretur, angustius, nostri maris insulas superat.
Solum coelumque, & ingenia cultusque homi-
num haud multum a Britannia differunt, nec in
melius. Aditus portusque per commercia & nego-
tiatores cogniti. Agricola expulsum seditione do-
mestica unum ex regulis gentis exceperat; ac spe-
cie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex
eo audivi, *legione una & modicis auxiliis debellari*

obtinerique Hiberniam posse: idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, & velut e conspectu libertas tolleretur.
25 Ceterum aestate, qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates, trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium & infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe exploravit: quae ab Agricola primum assumta in partem virium, sequebatur, egregia specie, cum simul terra, simul mari bellum impelleretur; ac saepe iisdem castris pedes equesque, & nauticus miles, mixti copiis & laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent; ac modo silvarum & montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra & hostis, hinc auctus Oceanus, militari iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat; tanquam, aperto maris sui secreto, ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus & arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnare ultro castella adorsi, metum, ut provocantes, addiderant. *Regrediendumque citra Bodotriam, & excedendum potius, quam pellerentur;* specie prudentium ignavi admonebant; cum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos. ac, ne superante numero, & peritia locorum circumiretur, diviso & ipse in tres partes exercitu incessit.
26 Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio, universi nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte aggressi,

inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus, irrupere. iamque in ipsis castris pugnabant; cum Agricola, iter hostium ab exploratoribus edoctus, & vestigiis insecutus, *velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium* iubet, *mox ab universis adiici clamorem.* & propinqua luce fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni: & Romanis redit animus; ac securi de salute, pro gloria certabant. ultro quin etiam irrupere: & fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes; utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. quod nisi paludes & silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. Cuius constantia ac fama 27
ferox exercitus, *nihil virtuti suae invium: penetrandam Caledoniam, inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu,* fremebant. atque illi modo cauti ac sapientes, promti post eventum ac magniloqui erant. iniquissima haec bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni, non virtute, sed occasione & arte usos, rati, nihil ex arrogantia remittere, quo minus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. Atque ita irritatis utrinque animis discessum. Eadem aestate co- 28
hors Usipiorum, per Germanias conscripta, in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso Centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipu-

lis, exemplum & rectores habebantur, tres libur-
nicas, adactis per vim gubernatoribus, adſcen-
dere: & uno remigante, ſuſpectis duobus eoque
interfectis, nondum vulgato rumore, ut miracu-
lum, praevehebantur. mox hac atque illa rapti,
& cum pleriſque Britannorum, ſua defenſantium,
proelio congreſſi, ac ſaepe victores, aliquando
pulſi, eo ad extremum inopiae venere, ut infir-
miſſimos ſuorum, mox ſorte ductos, veſceren-
tur. atque ita circumvecti Britanniam, amiſſis
per inſcitiam regendi navibus, pro praedonibus
habiti, primum a Suevis, mox a Friſiis inter-
cepti ſunt: ac fuere, quos per commercia ve-
numdatos, & in noſtram uſque ripam mutatio-
ne ementium adductos, indicium tanti caſus il-
29 luſtravit. Initio aeſtatis Agricola, domeſtico vul-
nere ictus, anno ante natum filium amiſit. quem
caſum neque, ut plerique fortium virorum, am-
bitioſe, neque per lamenta rurſus ac maerorem
muliebriter tulit. & in luctu bellum inter reme-
dia erat. Igitur praemiſſa claſſe, quae pluribus
locis praedata, magnum & incertum terrorem fa-
ceret, expedito exercitu, cui ex Britannis for-
tiſſimos & longa pace exploratos addiderat, ad
montem Grampium pervenit, quem iam hoſtes
inſederant. Nam Britanni, nihil fracti pugnae
prioris eventu, & ultionem aut ſervitium exſpe-
ctantes, tandemque docti, commune periculum
concordia propulſandum, legationibus & foede-
ribus omnium civitatum vires exciverant. Iam-
que ſuper triginta millia armatorum adſpicieban-

tur, & adhuc affluebat omnis iuventus. & qui-
bus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua
quisque decora gestantes: cum inter plures du-
ces virtute & genere praestans, nomine *Calgacus*,
apud contractam multitudinem, proelium po-
scentem, in hunc modum locutus fertur: *Quo-* 30
*ties causas belli & necessitatem nostram intueor, ma-
gnus mihi animus est, hodiernum diem, consensum-
que vestrum, initium libertatis totius Britanniae fo-
re. Nam & universi servitutis expertes, & nullae ul-
tra terrae, ac ne mare quidem securum, imminente
nobis classe Romana. ita proelium atque arma, quae
fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt.
Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia for-
tuna certatum est, spem ac subsidium in nostris ma-
nibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniae,
eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium lito-
ra adspicientes, oculos quoque a contactu dominatio-
nis inviolatos habemus. Nos, terrarum ac libertatis
extremos, recessus ipse ac sinus famae in hunc diem
defendit. Nunc terminus Britanniae patet: atque
omne ignotum pro magnifico est. sed nulla iam ul-
tra gens, nihil nisi fluctus & saxa: & infestiores Ro-
mani, quorum superbiam frustra per obsequium &
modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cun-
cta vastantibus defuere terrae, & mare scrutantur:
si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi;
quos non Oriens, non Occidens satiaverit. soli omnium
opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. aufer-
re, trucidare, rapere; falsis nominibus* imperium;
atque, ubi solitudinem faciunt, pacem *appellant.*

31 *Liberos cuique ac propinquos ſuos natura cariſſimos eſſe voluit. hi per delectus, alibi ſervituri, auferuntur: coniuges ſororeſque, etſi hoſtilem libidinem effugiant, nomine* amicorum *atque* hoſpitum *polluuntur. Bona fortunaſque in tributum egerunt; in annonam frumentum. corpora ipſa ac manus, ſilvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt. Nata ſervituti mancipia ſemel veneunt, atque ultro a dominis aluntur: Britannia ſervitutem ſuam quotidie emit, quotidie paſcit. Ac ſicut in familia recentiſſimus quiſque ſervorum & conſervis ludibrio eſt: ſic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos & viles in excidium petimur. neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus ſunt, quibus exercendis reſervemur. Virtus porro ac ferocia ſubiectorum ingrata imperantibus: & longinquitas ac ſecretum ipſum, quo tutius, eo ſuſpectius. Ita, ſublata ſpe veniae, tandem ſumite animum, tam quibus ſalus, quam quibus gloria cariſſima eſt. Trinobantes, femina duce, exurere coloniam, expugnare caſtra, ac, niſi felicitas in ſocordiam vertiſſet, exuere iugum potuere. Nos integri & indomiti, & ii libertatem non in praeſens tantum laturi, primo ſtatim congreſſu nonne oſtendemus, quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit? an eandem Romanis in bello virtutem, quam in*
32 *pace laſciviam adeſſe creditis? Noſtris illi diſceſſionibus ac diſcordiis clari, vitia hoſtium in gloriam exercitus ſui vertunt. quem contractum ex diverſiſſimis gentibus, ut ſecundae res tenent, ita adverſae diſſolvent; niſi ſi Gallos, & Germanos, & (pudet dictu) Britannorum pleroſque, licet dominationi alie-*

nae ſanguinem commodent. diutius tamen hoſtes quam ſervos. fide & affectu teneri putatis. metus & terror eſt: infirma vincula caritatis; quae ubi removeris, qui timere deſierint, odiſſe incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis ſunt. nullae Romanos coniuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi ſunt. aut nulla pleriſque patria, aut alia eſt: paucos numero, circum trepidos ignorantia, coelum ipſum ac mare & ſilvas, ignota omnia circumſpectantes, clauſos quodammodo ac vinctos Dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus adſpectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipſa hoſtium acie inveniemus noſtras manus. agnoſcent Britanni ſuam cauſam: recordabuntur Galli priorem libertatem: deſerent illos ceteri Germani, tanquam nuper Uſipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formidinis: vacua caſtella: ſenum coloniae: inter male parentes & iniuſte imperantes, aegra municipia & diſcordantia. hic dux, hic exercitus: ibi tributa & metalla, & ceterae ſervientium poenae: quas in aeternum perferre, aut ſtatim ulciſci, in hoc campo eſt. Proinde ituri in aciem, & maiores veſtros, & poſteros cogitate. Excepere orationem alacres, & 33 barbari moris cantu, & fremitu clamoribuſque diſſonis. Iamque agmina, & armorum fulgores, audentiſſimi cuiuſque procurſu; ſimul inſtruebantur acies: cum Agricola, quamquam laetum & vix munimentis coërcitum, militem adhortatus, ita diſſeruit: *Octavus annus eſt, commilitones, ex quo virtute & auſpiciis imperii Romani, fide atque opera veſtra Britanniam viciſtis. tot expeditioni-*

bus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore, paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit: neque me militum, neque vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum Legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae, non fama, nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inventa Britannia, & subacta. Equidem saepe in agmine, cum vos paludes, montesve & flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: Quando dabitur hostis? quando acies? *Veniunt, e latebris suis extrusi. & vota virtusque in aperto; omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque ducis, terga tuta esse. Proinde & honesta mors turpi vita potior; & incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.*

34 *Si novae gentes, atque ignota acies constitisset; aliorum exercituum exemplis vos hortarer. Nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. ii sunt, quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ii ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere; pavida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acer-*

rimi Britannorum iam pridem ceciderunt; reliquus eſt numerus ignavorum & metuentium. quos quo modo tandem inveniſtis? non reſtiterunt, ſed deprehenſi ſunt. noviſſime res, & extremo metu corpora defixere in his veſtigiis, in quibus pulchram & ſpectabilem victoriam ederetis. Tranſigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta annis magnum diem: approbate Reipublicae, nunquam exercitui imputari potuiſſe, aut moras belli, aut cauſas rebellandi. Et allo- 35
quente adhuc Agricola militum ardor eminebat; & finem orationis ingens alacritas conſecuta eſt: ſtatimque ad arma diſcurſum. Inſtinctos ruenteſque ita diſpoſuit, ut peditum auxilia, quae octo millia erant, mediam aciem firmarent, equitum tria millia cornibus affunderentur. legiones pro vallo ſtetere, ingens victoriae decus citra Romanum ſanguinem bellanti, & auxilium, ſi pellerentur. Britannorum acies, in ſpeciem ſimul ac terrorem, editioribus locis conſtiterat ita, ut primum agmen aequo, ceteri per acclive iugum connexi velut inſurgerent: media campi covinarius & eques ſtrepitu ac diſcurſu complebat. Tum Agricola, ſuperante hoſtium multitudine, veritus, ne ſimul in frontem, ſimul & latera ſuorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, & arceſſendas plerique legiones admonebant, promtior in ſpem & firmus adverſis, dimiſſo equo pedes ante vexilla conſtitit. Ac primo congreſſu eminus certabatur. 36
ſimul conſtantia, ſimul arte Britanni, ingentibus gladiis & brevibus cetris, miſſilia noſtrorum

vitare, vel excutere, atque ipſi magnam vim telorum ſuperfundere: donec Agricola tres Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus eſt, ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod & ipſis, vetuſtate militiae, exercitatum, & hoſtibus inhabile, parva ſcuta & enormes gladios gerentibus. nam Britannorum gladii ſine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnam non tolerabant. Igitur, ut Batavi miſcere ictus, ferire umbonibus, ora foedare, & ſtratis, qui in aequo obſtiterant, erigere in colles aciem coepere; ceterae cohortes, aemulatione & impetu commixtae, proximos quoſque caedere. ac plerique ſemineces, aut integri, feſtinatione victoriae, relinquebantur. interim equitum turmae fugere. covinarii peditum ſe proelio miſcuere. & quamquam recentem terrorem intulerant; denſis tamen hoſtium agminibus, & inaequalibus locis, haerebant. minimeque equeſtris ea tum pugnae facies erat; cum aegre diu ſtantes, ſimul equorum corporibus impellerentur, ac ſaepe vagi currus, exterriti ſine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, tranſverſos aut obvios incurſabant.
37 Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes ſumma collium inſederant, & paucitatem noſtrorum vacui ſpernebant, degredi paulatim, & circumire terga vincentium coeperant: ni id ipſum veritus Agricola quatuor equitum alas, ad ſubita belli retentas, venientibus oppoſuiſſet, quantoque ferocius accurrerant, tanto acrius pulſos in fugam diſieciſſet. Ita conſilium Britanno-

rum in ipſos verſum: tranſvectaeque praecepto
ducis a fronte pugnantium alae, averſam ho-
ſtium aciem invaſere. Tum vero patentibus locis
grande & atrox ſpectaculum: ſequi, vulnerare,
capere, atque eoſdem, oblatis aliis, trucidare.
Iam hoſtium, prout cuique ingenium erat, ca-
tervae armatorum paucioribus terga praeſtare;
quidam inermes ultro ruere, ac ſe morti offer-
re. paſſim arma, & corpora, & laceri artus, &
cruenta humus, & aliquando etiam victis ira vir-
tuſque. Poſtquam ſilvis appropinquarunt, col-
lecti, primos ſequentium, incautos & locorum
ignaros, circumveniebant. Quod ni frequens ubi-
que Agricola validas & expeditas cohortes, inda-
ginis modo, & ſicubi arctiora erant, partem equi-
tum dimiſſis equis, ſimul rariores ſilvas equitem
perſultare iuſſiſſet; acceptum aliquod vulnus per
nimiam fiduciam foret. Ceterum ubi, compo-
ſitos firmis ordinibus ſequi, rurſus videre; in fu-
gam verſi, non agminibus, ut prius, nec alius
alium reſpectantes, ſed rari, & vitabundi invi-
cem, longinqua atque avia petiere. Finis ſequen-
di nox & ſatietas fuit. caeſa hóſtium ad decem
millia: noſtrorum trecenti quadraginta cecidere;
in quîs Aulus Atticus, Praefectus cohortis, iu-
venili ardore & ferocia equi hoſtibus illatus. Et
nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus.
Britanni palantes, mixtoque virorum mulierum- 38
que ploratu, trahere vulneratos, vocare inte-
gros: deſerere domos, ac per iram ultro incen-
dere; eligere latebras, & ſtatim relinquere: mi-

ſcere invicem conſilia aliqua, dein ſeparare: aliquando frangi adſpectu pignorum ſuorum, ſaepius concitari; ſatiſque conſtabat, ſaeviſſe quosdam in coniuges ac liberos, tanquam miſererentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit. vaſtum ubique ſilentium, ſecreti calles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. quibus in omnem partem dimiſſis, ubi incerta fugae veſtigia, neque uſquam conglobari hoſtes compertum, & exacta iam aeſtate ſpargi bellum nequibat; in fines Horeſtorum exercitum deducit. Ibi acceptis obſidibus, Praefecto claſſis *circumvehi Britanniam* praecepit. datae ad id vires: & praeceſſerat terror. ipſe peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipſa tranſitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et ſimul claſſis ſecunda tempeſtate ac fama Trutulenſem portum tenuit, unde pro-
39 ximo latere Britanniae lecto omni redierat. Hunc rerum curſum, quamquam nulla verborum iactantia epiſtolis Agricolae auctum, ut Domitianus erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conſcientia, deriſui fuiſſe nuper falſum e Germania triumphum, emtis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hoſtium caeſis, ingenti fama celebrari. id ſibi maxime formidoloſum, privati hominis nomen ſupra Principis attolli: fruſtra ſtudia fori & civilium artium decus in ſilentium acta, ſi militarem gloriam alius occuparet: & ce-

tera utcunque facilius diſſimulari; ducis boni
imperatoriam virtutem eſſe. Talibus curis exer-
citus, quodque ſaevae cogitationis indicium erat,
ſecreto ſuo ſatiatus, optimum in praeſentia ſta-
tuit, reponere odium, donec impetus famae &
favor exercitus langueſceret. nam etiam tum Agri-
cola Britanniam obtinebat. Igitur *triumphalia or-* 40
*namenta, & illuſtris ſtatuae honorem, & quidquid
pro triumpho datur,* multo verborum honore cu-
mulata, decerni in Senatu iubet: additque inſu-
per opinionem, *Syriam provinciam Agricolae de-
ſtinari,* vacuam tum morte Atilii Rufi, conſula-
ris, & maioribus reſervatam. credidere plerique,
libertum ex ſecretioribus miniſteriis miſſum ad
Agricolam, codicillos, quibus ei Syria dabatur,
tuliſſe, cum praecepto, *ut, ſi in Britannia foret,
traderentur:* eumque libertum in ipſo freto Ocea-
ni obvium Agricolae, ne appellato quidem eo,
ad Domitianum remeaſſe: ſive verum iſtud, ſive
ex ingenio Principis fictum ac compoſitum eſt.
Tradiderat interim Agricola ſucceſſori ſuo pro-
vinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis ce-
lebritate & frequentia occurrentium introitus eſ-
ſet, vitato amicorum officio, noctu in Urbem,
noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, ve-
nit: exceptuſque brevi oſculo, & nullo ſermo-
ne, turbae ſervientium immixtus eſt. Ceterum
ut militare nomen, grave inter otioſos, aliis vir-
tutibus temperaret, tranquillitatem atque otium
penitus auxit, cultu modicus, ſermone facilis,
uno aut altero amicorum comitatus: adeo ut

plerique, quibus magnos viros per ambitionem
aestimare mos est, viso adspectoque Agricola,
41 quaererent famam, pauci interpretarentur. Cre-
bro per eos dies apud Domitianum absens accu-
satus, absens absolutus est. causa periculi non
crimen ullum, aut querela laesi cuiusquam; sed
infensus virtutibus Princeps, & gloria viri, ac pes-
simum inimicorum genus, laudantes. Et ea inse-
cuta sunt Reipublicae tempora, quae sileri Agri-
colam non sinerent: tot exercitus in Moesia Da-
ciaque & Germania Pannoniaque, temeritate,
aut per ignaviam ducum amissi: tot militares vi-
ri cum tot cohortibus expugnati & capti: nec
iam de limite imperii & ripa, sed de hibernis le-
gionum & possessione dubitatum. Ita cum damna
damnis continuarentur, atque omnis annus fu-
neribus & cladibus insigniretur, *poscebatur* ore
vulgi *dux Agricola:* comparantibus cunctis vigo-
rem, constantiam, & expertum bellis animum,
cum inertia & formidine aliorum. Quibus ser-
monibus satis constat Domitiani quoque aures
verberatas, dum optimus quisque libertorum
amore & fide, pessimi malignitate & livore, pro-
num deterioribus Principem exstimulabant. Sic
Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis alio-
42 rum, in ipsam gloriam praeceps agebatur. Ade-
rat iam annus, quo Proconsulatum Asiae & Afri-
cae sortiretur, & occiso Civica nuper, nec Agri-
colae consilium deerat, nec Domitiano exem-
plum. accessere quidam cogitationum Principis
periti, qui, *iturusne esset in provinciam,* ultro Agri-

colam interrogarent. ac primo occultius quietem & otium laudare, mox operam ſuam in approbanda excuſatione offerre. poſtremo non iam obſcuri, ſuadentes ſimul terrenteſque, pertraxere ad Domitianum. qui paratus ſimulationi, in arrogantiam compoſitus, & audiit preces excuſantis, &, cum annuiſſet, agi ſibi gratias paſſus eſt: nec erubuit beneficii invidia. ſalarium tamen, proconſulari ſolitum offerri, & quibuſdam a ſe ipſo conceſſum, Agricolae non dedit: ſive offenſus, non petitum, ſive ex conſcientia, ne, quod vetuerat, videretur emiſſe. Proprium humani ingenii eſt, odiſſe, quem laeſeris; Domitiani vero natura praeceps in iram, & quo obſcurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur: quia non contumacia, neque inani iactatione libertatis, famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris, illicita mirari, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos viros eſſe: obſequiumque ac modeſtiam, ſi induſtria ac vigor adſint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum Reipublicae uſum, ambitioſa morte inclaruerunt.

Finis vitae eius nobis luctuoſus, amicis triſtis, 43
extraneis etiam ignotiſque non ſine cura fuit. Vulgus quoque, & hic alius agens populus, & ventitavere ad domum, & per fora, & circulos locuti ſunt: nec quiſquam, audita morte Agricolae, aut laetatus eſt, aut ſtatim oblitus eſt. Augebat miſerationem conſtans rumor, *veneno interceptum*. Nobis nihil comperti affirmare auſim: ce-

terum per omnem valetudinem eius, crebrius,
quam ex more Principis per nuntios viſentis,
& libertorum primi, & medicorum intimi ve-
nere: ſive cura illud, ſive inquiſitio erat. Supre-
mo quidem die, momenta deficientis per diſpo-
ſitos curſores nuntiata conſtabat; nullo credente,
ſic accelerari, quae triſtis audiret: ſpeciem tamen
doloris animo vultuque prae ſe tulit; ſecurus
iam odii, & qui facilius diſſimularet gaudium,
quam metum. Satis conſtabat, lecto teſtamento
Agricolae, quo coheredem optimae uxori & piiſ-
ſimae filiae Domitianum ſcripſit, laetatum eum,
velut honore iudicioque. tam caeca & corrupta
mens aſſiduis adulationibus erat, ut neſciret, a
bono patre non ſcribi heredem, niſi malum,
44 Principem. Natus erat Agricola, Caio Caeſare ter-
tium Conſule, Idib. Iuniis: exceſſit ſexto & quin-
quageſimo anno, decimo Kal. Septemb. Collega
Priſcoque Coss. Quod ſi habitum quoque eius
poſteri noſcere velint; decentior quam ſublimior
fuit. nihil ineptum in vultu; gratia oris ſupere-
rat. bonum virum facile crederes, magnum li-
benter. Et ipſe quidem, quamquam medio in
ſpatio integrae aetatis ereptus, quantum ad glo-
riam, longiſſimum aevum peregit. quippe & vera
bona, quae in virtutibus ſita ſunt, impleverat; &
conſularibus ac triumphalibus ornamentis prae-
dito, quid aliud adſtruere fortuna poterat? Opi-
bus nimiis non gaudebat; ſpecioſae contigerant.
Filia atque uxore ſuperſtitibus, poteſt videri
etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama,

ſalvis affinitatibus & amicitiis, futura effugiſſe. nam ſicuti durare in hac beatiſſimi ſeculi luce, ac Principem Traianum videre, quodam augurio votiſque apud noſtras aures ominabatur: ita feſtinatae mortis grande ſolatium tulit, evaſiſſe poſtremum illud tempus, quo Domitianus, non iam per intervalla ac ſpiramenta temporum, ſed continuo & velut uno ictu, Rempublicam exhauſit. Non vidit Agricola obſeſſam curiam, & clauſum 45
armis Senatum, & eadem ſtrage tot Conſularium caedes, tot nobiliſſimarum feminarum exſilia & fugas. Una adhuc victoria carus Metius cenſebatur, & intra Albanam arcem ſolam ſententia Meſſalini ſtrepebat, & Maſſa Bebius iam tum reus erat. Mox noſtrae duxere Helvidium in carcerem manus: nos Maurici Ruſticique diviſus, nos innocenti ſanguine Senecio perfudit. Nero tamen ſubtraxit oculos, iuſſitque ſcelera, non ſpectavit: praecipua ſub Domitiano miſeriarum pars erat, videre & adſpici: cum ſuſpiria noſtra ſubſcriberentur; cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſaevus ille vultus & rubor, quo ſe contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, ſed etiam opportunitate mortis, (ut perhibent, qui interfuerunt noviſſimis ſermonibus tuis) conſtans & libens fatum excepiſti; tanquam pro virili portione innocentiam Principi donares. Sed mihi filiaeque, praeter acerbitatem parentis erepti, auget maeſtitiam, quod aſſidere valetudini, fovere deficientem, ſatiari vultu, complexu, non contigit. excepiſſemus certe mandata voceſ-

que, quas penitus animo figeremus. Noſter hic
dolor, noſtrum vulnus: nobis tam longae abſen-
tiae conditione ante quadriennium amiſſus es.
Omnia ſine dubio, optime parentum, aſſidente
amantiſſima uxore, ſuperfuere honori tuo: pau-
cioribus tamen lacrimis compoſitus es, & noviſſi-
46 ma in luce deſideravere aliquid oculi tui. Si quis
piorum manibus locus; ſi, ut ſapientibus placet,
non cum corpore exſtinguuntur magnae animae:
placide quieſcas, noſque, domum tuam, ab infir-
mo deſiderio & muliebribus lamentis, ad contem-
plationem virtutum tuarum voces; quas neque
lugeri, neque plangi fas eſt. Admiratione te po-
tius quam temporalibus laudibus, &, ſi natura
ſuppeditet, aemulatione decoremus. Is verus ho-
nos: ea coniunctiſſimi cuiuſque pietas. Id filiae
quoque, uxorique praeceperim, *ſic patris, ſic ma-
riti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius
ſecum revolvant, formamque ac figuram animi magis
quam corporis complectantur:* non quia interceden-
dum putem imaginibus, quae marmore aut aere
finguntur: ſed ut vultus hominum, ita ſimulacra
vultus imbecilla ac mortalia ſunt; forma mentis
aeterna, quam tenere & exprimere, non per alie-
nam materiam & artem, ſed tuis ipſe moribus poſ-
ſis. Quidquid ex Agricola amavimus, quidquid
mirati ſumus, manet, manſurumque eſt in animis
hominum, in aeternitate temporum, fama rerum.
nam multos veterum, velut inglorios & ignobiles,
oblivio obruet: Agricola, poſteritati narratus &
traditus, ſuperſtes erit.

DE
ORATORIBUS
DIALOGUS

AN SUI SECULI ORATORES
ANTIQUIS ET QUARE
CONCEDANT

IN MSS. CORNELIO TACITO ADSCRIPTUS
SED INCERTI AUCTORIS.

LIPSII PRAEFATIO.

Superioribus libris lucem aliquam industria nostra attulit: huic, vere possum dicere, salutem. Nam cum depravatissimus vulgo circumferretur, nulla pagina sine vulnere & vibice, admirabile est, quantum a Farnesiano Codice (nam Vaticanis aberat) in eo sanando simus adiuti. Multi hiatus expleti, verba & lineae integrae insertae, centeni aliquot loci (Latine, non oratorie loquor) emendati: quorum omnium numerum inire aut longum, aut supervacuum. moderabor, & in his notis ea saltem tangam, quorum vel insignis correctio est, vel ambigua. reliqua recepta in contextum, satis sit verbo iam nunc praedixisse, e Farnesiani libri fide esse. At de scripto, & scriptore ipso, pauca etiam hic libanda sunt. Scriptum sane optimum, stilo, inventione, iudicio: & quod in hoc genere (integrum esset modo) conferre nihil verear cum iis, quae optimi secli, & optimae notae. Scriptor tamen ipse incertus. Ita olim iudicavi: neque etiam muto. Nam Tacitum *fuisse quî credam? Stilus valide abnuit, non fallax in hoc genere argumentum. qui in nostro constrictus ubique, teres, acutus, & severus magis, quam lepidus: hic*

omnia contra. At mutari is in aetate aut argumento poteſt, inquiunt. Non nego. ſed nunquam ita, ut abeat prorſus a ſeſe. Quidquid Cicero ſcripſit, ſenex, iuvenis, philologum, philoſophum, in iis tamen lineamenta quaedam apparent eiuſdem viri & vultus [1]. *nec aliter ſit in omnibus nobis. Aetatem etiam vide, ſi non pugnat. Hic ſcriptor ſermonem hunc habitum inducit ſexto Flaviani imperii anno* [2]*: eique interfuiſſe ſe* admodum iuvenem. *Quomodo vero tunc admodum iuvenis Tacitus, ſi honores etiam cepit ſub Veſpaſiano? Id enim de ſe fatetur, &* dignitatem *ſuam* a Veſpaſiano inchoatam *ait Hiſtoriarum primo. Sed exemplaria omnia* Tacito *afferunt. Quae illa? vix bina aut terna credo ea eſſe in omni Europa. quae tam facile & pronum eſt hic mentiri, quam in aliis libris ſaepe. Sed etiam Pomponius Sabinus. Ita enim politiſſimus doctiſſimuſque Pithoeus nos docuit, Notis ad hunc libellum. Is igitur Sabinus, mediae aetatis Grammaticus, in Carmen de obitu Maecenatis,* Cornelius, *inquit,* Tacitus appellat ſcripta Maecenatis calamiſtros. *Nec negare certe poſſumus, quin is lo-*

1 Neque tamen auſimus omnino negare, in hac ſcriptionis diverſitate multa eſſe, quae Tacito haud indigna ſint, in orationibus certe Meſſalae & Materni plura, quam in Apri diſputatione, quem pro ingenio rhetoris loquentem facit ſcriptor, quiſquis ſit.

2 Quo Tacitus ex Lipſii rationibus, quas tuemur ipſi in praef. T. I, § 17, annorum fere XXIX fuit. Ex Philippi a Turre, Tillemontii, Broterii rationibus Tacitus tum egit annum fere XIX; uti Plinius iunior XIV, mox togam virilem ſumturus & in Rhetorum ſcholas deducendus. Quinctilianus vero tum annum XXXVI agens multo minus haberi debet pro auctore, tum *paene iuvene*.

cus hodieque in hoc libello exſtet. Quid dicam? ſerio & ingenue, nihil me credere huic ignobili Sabino, qui, ex veteri verbo, ſomniavit fortaſſe, quod voluit. Dico, me. nam aliis nihil praeeo, quid ſequantur. Incommodi quid erit, ſive Tacito tribuamus, ſive M. Fabio Quinctiliano, ut mihi olim viſum? Nam & ſtilus ipſe plane geminus: & ille, ſe de cauſis corruptae eloquentiae *ſcripſiſſe, plus uno loco fatetur*[1]*: quem titulum valde appoſitum ſcio huic argumento. Praecipuam enim materiem & velut fundum ſcripti hoc fuiſſe, evincunt illa, quae ſuperant, & magis evincerent, quae a fine deſunt. Ipſe Maternus hic ad Meſſalam:* Exprime nobis non laudationem antiquorum, ſed cauſas, cur in tantum ab eloquentia eorum receſſerimus. *Aetas tamen Quinctiliani paulo grandior fuiſſe videtur, quam ut hic ſermo illo*

1 Praef. L. VI Inſtitut. Orat. Sed L. VIII extr. in eiuſdem libri mentione refert, ſe plenius in illo tractaſſe locum de tropis, & ſingulatim de hyperbole. Sed nihil eius in hoc dialogo, quantum hodie exſtat; ut generatim (bene monente Geſnero) nihil technicum. minimeque veriſimile putamus, talia excidiſſe, ubi hodie lacuna eſt inter cap. 35 & 36. Neque nobis huius Dialogi oratio & ſtilus cum illo Quinctiliani adeo congruere videtur; quod Lipſio aliiſque poſt illum, noviſſime Heumanno, viſum eſt. Tum mihi perſuadere nequeo, Quinctilianum, iſtius ſeculi ingeniorum praeceptorem laudatoremque ex perſona Meſſalae & Materni ea ſcripſiſſe, quae graviora & veriora videntur, quam quae Aper pro rhetoribus dixit. Quinctil. certe X, I, 122 ſcribens: *Habebunt, qui poſt nos de oratoribus ſcribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi. Sunt enim ſumma hodie, quibus illuſtratur forum, ingenia* &c. Talia non praefatur Noſter.

iuvene. Itaque ambigo. & cum multa dixerim, claudo tamen omnia, & ſigno hoc reſponſo: Mihi non liquere. [1]

1 Pithoeus probabilius certe, quam qui Quinctiliano tribuunt, exiſtimat Tacitum haec & in eum modum ſcribere potuiſſe, ut nondum maturiorem, qualis acceſſit ad hiſtorias; & in eiuſmodi materia voluiſſe. Itaque nos etiam praetulimus antiquiorem libelli titulum ex MSS. & edd. priſcis, quam quo aliis inſcribitur *de cauſis corruptae eloquentiae.*

DE ORATORIBUS DIALOGUS.

BREVIARIUM.

Scriptor dialogi, quo antiquorum oratorum ingenia cum recentiorum temporum disertis conferuntur, quando quave occasione & a quibus hic sermo olim, (anno VI Vespasiani) institutus sit, praefatur cap. 1 & 2. M. Aper, orator, & Maternus, ex oratore poëta, assidente Iulio Secundo, ut iudice, contendunt, ars utra praestet, 3 & 4. Aper ostendit oratoriae eloquentiae usum 5 & voluptatem. Oratores ab omnibus ambiuntur, coluntur, 6; etiam a potentissimis, 7; idque Marcelli Eprii & Crispi Vibii exemplis firmat 8; contra poëticam artem dignitate & utilitate carere asserit. Vespasiani liberalitas in Saleium poëtam, 9. Rari poëtae famam adepti. ludicras artes exercere, honestum in Graecia. Poëtae offensis obnoxii, 10. Materni oratio pro poëtica: studium esse plenum puritatis & innocentiae, 11. Poëtis quam oratoribus maiorem esse gloriam, 12; vitam quoque optabiliorem, quam his, qui in magnis opibus trepidi & incerti agant, 13. Vipstanus Messala superveniens sermonibus, veteres oratores Graecos Latinosque recentibus praefert, 14. Aper repugnat 15; primum mota quaestione, quinam ex oratoribus pro veteribus s. antiquis habendi sint? 16; cum Cicero atque eius

coaetanei videantur velut in medio positi, 17; dein formas dicendi mutari cum temporibus, probat exemplis, 18. Cassium Severum, novi seculi eloquentiae principem, quae causae moverint ad dicendi genus a veteri & antiquo diversum? 19. Recentem eloquentiam cultiorem & laetiorem prisca esse contendit, 20. Iudicium profert de Calvo & Caelio; de C. Caesare & Bruto, horumque & Ciceronis carminibus; Asinio, Corvino, 21. Ciceronis artes in excolenda facundia, 22; vitia quoque illius ostensa, quae sola perversis imitatoribus placent, 23. Aper perorans seculi sui nitorem & cultum laudat, 24. Maternus provocat Messalam, ut non tam antiquos defendat, laudetque, quam causas aperiat, cur recentiores ab eorum eloquentia recesserint, 24. Messalae oratio: quinam intelligantur oratores antiqui: de diversis dicendi generibus: de mutua malignitate oratorum, non ut talium, sed ut hominum, 25. Antiquorum impetus & gravitas mollitie recentium decentior: aliud iudicium de Cassio Severo: recentiorum tumor vituperatur, 26. Iam poscente Materno, transiturus Messala ad causas, 27, primam quaerit in educatione liberorum, quae apud antiquos multo severior & sanctior fuerit, 28; apud recentes ad histrionalem favorem, gladiatorum equorumque studia, & ad rhetores deflexerit, 29. Qua usi sunt veteres oratores disciplina, ab ipso Cicerone ostendit: probatque, ex ingenuarum artium omnium scientia variaque eruditione exundasse illam antiquam eloquentiam, 30 & 31; atque illarum contemtum primam corruptae eloquentiae causam esse, 32. Progreditur Messala ad alteram causam, de veterum exercitatione, eloquentiae propria, 33. Iuvenes post studia a patribus ad insignes oratores deducti, a quorum latere nunquam discederent, 34. At posteriores in scholas Rhetorum deduxere, ubi nihil discitur, nisi quod usum non habet, 35. *(Atque h. l. magna lacuna est in libris MSS. unde orationi Messalae finis, & initium orationi Materni deest.)* Maternus causam

aliam corruptae eloquentiae in pace & otio ponit, quo Roma ſub Principe uno fruebatur, 36; nam rebus turbidis maior eloquentiae honor, quanto tum utilior eſt, 37. Inde & corruptae eloquentiae cauſa exſtitere leges adſtrictiores iudiciorum, 38; ipſa quoque veſtis, auditoria & ſolitudo adverſa eloquentiae, 39; quae regnat in turbis, eoque rara eſt in civitatibus bene conſtitutis, 40; immo omnino nulla eſſet, ſi nuſquam peccaretur, 41. Quare bono ſeculi ſui, citra obtrectationem alterius, cuique utendum, 41. Finis dialogi, 42.

SAEPE ex me requiris, Iuſte Fabi, *cur, cum priora ſecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruerint, noſtra potiſſimum aetas deſerta & laude orbata, vix nomen ipſum* oratoris *retineat.* 1 neque enim ita appellamus, niſi antiquos: horum autem temporum diſerti, *cauſidici*, & *advocati*, & *patroni*, & quidvis potius, quam *oratores* vocantur. Cui percontationi tuae reſpondere, & tam magnae quaeſtionis pondus excipere, ut aut de ingeniis noſtris male exiſtimandum ſit, ſi idem aſſequi non poſſumus, aut de iudiciis, ſi nolumus, vix hercule auderem, ſi mea ſententia proferenda, ac non diſertiſſimorum, ut noſtris temporibus, hominum ſermo repetendus eſſet, quos eandem hanc quaeſtionem pertractantes, iuvenis admodum audivi. Ita non ingenio, ſed memoria ac recordatione opus eſt, ut, quae a praeſtantiſſimis viris & excogitata ſubtiliter, & dicta graviter accepi, cum ſinguli diverſas, vel eaſdem, ſed probabiles cauſas afferrent, dum formam ſui quiſque & animi & ingenii redderet, iiſdem

nunc numeris, iisdem rationibus persequar, servato ordine disputationis. neque enim defuit, qui diversam quoque partem susciperet, ac multum vexata & irrisa vetustate, nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis ante-
2 ferret. Nam postero die, quam Curiatius MATERNUS *Catonem* recitaverat, cum *offendisse potentium animos* diceretur; *tanquam in eo tragoediae argumento sui oblitus, tantum Catonem cogitasset*, eaque de re per Urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum M. APER, & Iulius SECUNDUS, celeberrima tum ingenia fori nostri: quos ego in iudiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque & in publico affectabar, mira studiorum cupiditate, & quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum, & disputationes, & arcana semotae dictionis penitus exciperem. quamvis maligne plerique opinarentur, *nec Secundo promtum esse sermonem, & Aprum ingenio potius & vi naturae, quam institutione & literis, famam eloquentiae consecutum.* Nam & Secundo purus, & pressus, &, in quantum satis erat, profluens sermo non defuit: & Aper, communi eruditione imbutus, contemnebat potius literas, quam nesciebat; tanquam maiorem industriae & laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur.

3 Igitur ut intravimus cubiculum MATERNI, sedentem ipsum, & quem pridie recitaverat, librum intra manus habentem, deprehendimus.

Tum Secundus, Nilne te, inquit, Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offenſas *Catonis* tui ames? an ideo librum iſtum apprehendiſti, ut diligentius retractares, & ſublatis, ſi quae pravam interpretandi materiam dederunt, emitteres *Catonem*, non quidem meliorem, ſed tamen ſecuriorem?

Tum ille: Leges tu quidem, ſi volueris, & agnoſces, quae audiſti. quod ſi qua omiſit *Cato*, ſequenti recitatione *Thyeſtes* dicet. hanc enim tragoediam diſpoſui iam, & intra me ipſe formavi: atque ideo maturare libri huius editionem feſtino, ut, dimiſſa priore cura, novae cogitationi toto pectore incumbam.

Adeo te tragoediae iſtae non ſatiant, inquit Aper, quo minus, omiſſis orationum & curarum ſtudiis, omne tempus modo circa *Medeam*, ecce nunc circa *Thyeſten* conſumas? cum tot amicorum cauſae, tot coloniarum & municipiorum clientelae in forum vocent; quibus vix ſufficeres, etiamſi non novum tibi ipſe negotium importaſſes, *Domitium* & *Catonem*, id eſt, noſtras quoque hiſtorias, & Romana nomina, Graecorum fabulis aggregares.

Et Maternus: Perturbarer hac tua ſeveritate, 4
niſi frequens ac aſſidua nobis contentio iam prope in conſuetudinem vertiſſet. nam nec tu agitare & inſequi poëtas intermittis; & ego, cui deſidiam advocationum obiicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae adverſus te poëticae exerceo. Quo laetor magis, oblatum nobis iudi-

cem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod iam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensium causarum angustiis, in quibus satis mihi superque sudatum est, sanctiorem istam & augustiorem eloquentiam colam.

5 Ego vero, (inquit Secundus) antequam me iudicem Aper recuset, faciam, quod probi & modesti iudices solent, ut in his cognitionibus se excusent, in quibus manifestum est*, alteram apud eos partem gratia praevalere. Quis enim nescit, neminem mihi coniunctiorem esse & usu amicitiae, & assiduitate contubernii, quam Saleium Bassum, cum optimum virum, tum absolutissimum poëtam? Porro si poëtica accusatur, non alium video reum locupletiorem.

Securus sit, (inquit Aper) & Saleius Bassus, & quisquis alius studium poëticae & carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. At ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni, non patiar, Maternum societate plurium defendi: sed & ipsum solum apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem & oratoriam, qua parare simul & tueri amicitias, adsciscere nationes, complecti provincias possit, amittit studium, quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad Urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid erit tutius,

quam eam exercere artem, qua ſemper armatus, praeſidium amicis, opem alienis, ſalutem periclitantibus, invidis vero & inimicis metum & terrorem ultro feras, ipſe ſecurus, & velut quadam perpetua potentia ac poteſtate munitus? cuius vis & utilitas, rebus proſpere fluentibus, aliorum praeſidio & tutela intelligitur: ſin proprium periculum increpuit, non hercule lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quam reo & periclitanti eloquentia, praeſidium ſimul & telum, quo propugnare pariter & inceſſere, ſive in iudicio, ſive in Senatu, ſive apud Principem poſſis. Quid aliud infeſtis Patribus nuper Eprius Marcellus, quam eloquentiam ſuam, oppoſuit? qui accinctus & minax, diſertam quidem, ſed inexercitatam & eiuſmodi certaminum rudem Helvidii ſapientiam eluſit. Plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitrer. Ad voluptatem ora- 6
toriae eloquentiae tranſeo, cuius iucunditas non uno aliquo momento, ſed omnibus prope diebus & prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero & ingenuo animo & ad voluptates honeſtas nato, quam videre plenam ſemper & frequentem domum concurſu ſplendidiſſimorum hominum? idque ſcire, non pecuniae, non orbitati, neque officii alicuius adminiſtrationi, ſed ſibi ipſi dari? illos quinimmo orbos, & locupletes, & potentes, venire plerumque ad iuvenem, & pauperem, ut aut ſua aut amicorum diſcrimina commendent. Ullane tanta ingentium opum

ac magnae potentiae voluptas, quam ſpectare homines veteres, & ſenes, & totius Urbis gratia ſubnixos, *in ſumma omnium rerum abundantia* confitentes, *id. quod optimum ſit. ſe non habere?* Iam vero, qui togatorum comitatus & egreſſus! quae in publico ſpecies! quae in iudiciis veneratio! quod gaudium conſurgendi aſſiſtendique inter tacentes, in unum converſos: coire populum, & circumfundi coronam, & accipere affectum, quemcunque orator induerit! Vulgata dicentium gaudia, & imperitorum quoque oculis expoſita, percenſeo. Illa ſecretiora, & tantum ipſis orantibus nota, maiora ſunt. Sive accuratam meditatamque affert orationem; eſt quoddam ſicut ipſius dictionis, ita gaudii pondus & conſtantia: ſive novam & recentem curam non ſine aliqua trepidatione animi attulerit; ipſa ſollicitudo commendat eventum, & lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciae, atque ipſius temeritatis, vel praecipua iucunditas eſt. nam ingenio quoque, ſicut in agro, quamquam alia diu ſerantur atque elaborentur; gratiora tamen, quae ſua
7 ſponte naſcuntur. Equidem ut de me ipſe fatear, non eum diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus eſt, vel quo homo novus, & in civitate minime favorabili natus, Quaeſturam, aut Tribunatum, aut Praeturam accepi; quam eos, quibus mihi, pro mediocritate huius quantulaecunque in dicendo facultatis, aut reum proſpere defendere, aut apud Centumviros cauſam aliquam feliciter orare, aut apud Principem ipſos

illos libertos & procuratores Principum tueri &
defendere datur. Tum mihi ſupra Tribunatus, &
Praeturas, & Conſulatus aſcendere videor, tum
habere, quod, ſi non in ſuo oritur, nec codi-
cillis datur, nec cum gratia venit. Quae fama &
laus cuiuſvis artis cum oratorum gloria compa-
randa eſt, qui non illuſtres in Urbe ſolum, apud
negotioſos & rebus intentos, ſed etiam apud iu-
venes & adoleſcentes, quibus modo rectior in-
doles eſt, & bona ſpes ſui? Quorum nomina
prius parentes liberis ſuis ingerunt? quos ſae-
pius vulgus imperitum, & tunicatus hic popu-
lus tranſeuntes nomine vocat, & digito demon-
ſtrat? Advenae quoque & peregrini, iam in mu-
nicipiis & coloniis ſuis auditos, cum primum Ur-
bem attigerunt, requirunt, ac vultus agnoſce-
re concupiſcunt. Auſim contendere, Marcellum 8
hunc Eprium, de quo modo locutus ſum, &
Criſpum Vibium (libentius enim novis & recen-
tibus, quam remotis & obliteratis exemplis utor)
non minoris eſſe in extremis partibus terrarum,
quam Capuae, aut Vercellis, ubi nati dicuntur.
Nec hoc illis ſaltem ter millies ſeſtertium prae-
ſtat (quamquam ad has ipſas opes poſſunt videri
eloquentiae beneficio veniſſe) ipſa eloquentia;
cuius numen & coeleſtis vis multa quidem omni-
bus ſeculis exempla edidit, ad quantam uſque
fortunam homines ingenii viribus pervenerint.
Sed haec, ut ſupra dixi, proxima, & quae non
auditu cognoſcenda, ſed oculis ſpectanda habe-
remus. nam quo ſordidius & abiectius nati ſunt,

quoque notabilior paupertas & angustia rerum nascentes eos circumsteterunt; eo clariora, & ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exempla sunt: quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemtus, per multos iam annos potentissimi sunt civitatis, ac, donec libuit, principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia, agunt feruntque cuncta, atque ab ipso Principe cum quadam reverentia diliguntur: quia Vespasianus, venerabilis senex, & patientissimus vir, bene intelligit, ceteros quidem amicos suos niti iis, quae ab ipso acceperint, quaeque ipsi accumulare & in alios congerere promtum est: Marcellum autem & Crispum, attulisse ad amicitiam suam, quod non a Principe acceperint, nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli, & statuae, quae neque ipsa tamen negliguntur: tam hercule, quam divitiae, & opes; quas facilius invenies, qui vituperet, quam qui fastidiat. His igitur & honoribus, & ornamentis, & facultatibus, refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia caussis forensibus & oratorio studio dederunt.

9 Nam carmina & versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio), neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitates alunt: voluptatem autem brevem, laudem inanem & infructuosam consequuntur. Licet haec ipsa, & quae dein-

de dicturus sum, aures tuae, Materne, respuant; cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur? quis ideo domum defensus tibi obligatus redit? Quis Saleium, nostrorum egregium poëtam, vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem, deducit, aut salutat, aut prosequitur? Nempe, si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te, Materne, non, quia poëta es, neque ut pro eo versus facias. hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem & iucundi: quorum tamen hic exitus est, ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit & elucubravit, rogare ultro & ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire: & ne id quidem gratis. nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit: & ut beatissimus recitationem eius eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore, praecepta, ad nullam certam & solidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volucre. Laudavimus nuper, ut miram & eximiam, Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam Principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam ex-

periri liberalitatem? Adiice, quod poëtis, ſi modo dignum aliquid elaborare & efficere velint, relinquenda converſatio amicorum & iucunditas Urbis, deſerenda cetera officia, utque ipſi dicunt, *in nemora & lucos*, id eſt, in ſolitudinem recedendum eſt. Ne opinio quidem & fama, cui ſoli ſerviunt, & quod unum eſſe pretium omnis ſui laboris fatentur, aeque poëtas quam oratores ſequitur; quoniam mediocres poëtas nemo novit, bonos pauci. Quando enim rariſſimarum recitationum fama in totam Urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innoteſcat. Quotus quiſque, cum ex Hiſpania, vel Aſia, (ne quid de Gallis noſtris loquamur,) in Urbem venit, Saleium Baſſum requirit? atque adeo ſi quis requirit, & ſemel vidit, tranſit, & contentus eſt, ut ſi picturam aliquam vel ſtatuam vidiſſet. Neque hunc meum ſermonem ſic accipi volo, tanquam eos, quibus natura ſua oratorium ingenium denegavit, deterream a carminibus; ſi modo in hac ſtudiorum parte oblectare otium, & nomen inſerere poſſunt famae. Ego vero omnem eloquentiam omneſque eius partes ſacras & venerabiles puto: nec ſolum cothurnum veſtrum, aut heroici carminis ſonum, ſed lyricorum quoque iucunditatem, & elegorum laſcivias, & iamborum amaritudinem, & epigrammatum luſus, & quamcunque aliam ſpeciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium ſtudiis credo. ſed tecum mihi, Materne, res eſt, quod, cum natura tua in ipſam arcem eloquentiae ferat, er-

rare mavis, & summa adeptus, in levioribus subsistis. Ut, si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires Dii dedissent, non paterer immanes illos & ad pugnam natos lacertos, levitate iaculi aut iactu disci vanescere: sic nunc te ab auditoriis & theatris, in forum, & ad causas, & ad vera proelia voco; cum praesertim ne ad id quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tanquam minus obnoxium sit offendini poëtarum quam oratorum studium. Effervescit enim vis pulcherrimae naturae tuae, nec pro amico aliquo, sed, quod periculosius est, pro *Catone* offendis: nec excusatur offensa necessitudine officii, aut fide advocationis, aut fortuitae & subitae dictionis impetu. At tu meditatus videris elegisse personam notabilem, & cum auctoritate dicturam. Sentio, quid responderi possit: hinc ingentes exsistere assensus, hinc in ipsis auditoriis praecipue laudari, & mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis & securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem. Nobis satis sit, privatas & nostri seculi controversias tueri, in quibus expressis, si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, probata sit fides, & libertas excusata.

Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, & 11 intento ore; remissus & subridens Maternus, Paravi, inquit, me, non minus diu accusare oratores, quam Aper laudat. Fore enim arbitrabar, ut

a laudatione eorum digreſſus, detrectaret poëtas, atque carminum ſtudium proſterneret: arte quadam mitigavit, concedendo his, qui cauſas agere non poſſent, ut verſus facerent. Ego autem ſicut in cauſis agendis efficere aliquid & eniti fortaſſe poſſum, ita recitatione tragoediarum ingredi famam auſpicatus ſum, tum quidem, cum in Nerone improbam & ſtudiorum quoque ſacra profanantem Vatinii potentiam fregi: & hodie ſi quid in nobis notitiae ac nominis eſt, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. ac iam me ſeiungere a forenſi labore conſtitui: nec comitatus iſtos & egreſſus, aut frequentiam ſalutationum concupiſco; non magis quam aera & imagines, quae, etiam me nolente, in domum meam irruperunt. Nam ſtatum hucuſque ac ſecuritatem melius innocentia tueor, quam eloquentia: nec vereor, ne mihi unquam verba in Senatu, niſi
12 pro alterius diſcrimine, facienda ſint. Nemora vero, & luci, & ſecretum ipſum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem, quod nec ſtrepitu, nec ſedente ante oſtium litigatore, nec inter ſordes ac lacrimas reorum componuntur; ſed ſecedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque ſedibus ſacris. Haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus, in illa caſta & nullis contacta vitiis pectora influxit: ſic oracula loquebantur. Nam lucroſae huius & ſanguinantis eloquentiae uſus, recens, & malis moribus natus,

atque, ut tu dicebas, Aper, *in locum teli* repertus.
Ceterum felix illud, &, ut more noſtro loquar,
aureum ſeculum, & oratorum & criminum inops,
poëtis & vatibus abundabat, qui bene facta ca-
nerent, non qui male admiſſa defenderent. Nec
ullis aut gloria maior, aut auguſtior honor: pri-
mum apud Deos, quorum proferre reſponſa, &
intereſſe epulis ferebantur: deinde apud illos Diis
genitos ſacroſque reges, inter quos neminem cau-
ſidicorum, ſed Orphea ac Linum, ac ſi introſpi-
cere altius velis, ipſum Apollinem, accepimus:
vel ſi haec fabuloſa nimis & compoſita videntur,
illud certe mihi concedis, Aper, non minorem
honorem Homero, quam Demoſtheni, apud po-
ſteros; nec anguſtioribus terminis famam Euripi-
dis, aut Sophoclis, quam Lyſiae, aut Hyperidis
includi. Plures hodie reperies, qui Ciceronis glo-
riam, quam qui Virgilii detrectent. nec ullus Aſi-
nii aut Meſſalae liber tam illuſtris eſt, quam *Me-
dea* Ovidii, aut Varii *Thyeſtes*. Ac ne fortunam 13
quidem vatum, & illud felix contubernium, com-
parare timuerim cum inquieta & anxia oratorum
vita. licet illos certamina & pericula ſua ad Con-
ſulatus evexerint: malo ſecurum & ſecretum Vir-
gilii ſeceſſum; in quo tamen neque apud divum
Auguſtum gratia caruit, neque apud populum
Romanum notitia. Teſtes Auguſti epiſtolae: teſtis
ipſe populus, qui, auditis in theatro verſibus Vir-
gilii, ſurrexit univerſus, & forte praeſentem ſpe-
ctantemque Virgilium veneratus eſt, ſic quaſi Au-
guſtum. Ne noſtris quidem temporibus, Secun-

dus Pomponius Afro Domitio, vel dignitate vitae, vel perpetuitate famae cesserit. Nam Crispus & Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? an quod timent? an quod timentur? quod, cum quotidie aliquid rogentur, hi, quibus praestant, indignantur? quod alligati cum adulatione, nec imperantibus unquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi? Quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me vero *dulces*, ut Virgilius ait, *Musae*, remotum a sollicitudinibus & curis & necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque fontes ferant: nec insanum ultra & lubricum forum, famamque pallentem, trepidus experiar. non me fremitus salutantium, nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri, testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quam quod possim, cui velim, relinquere, quandocunque fatalis & meus dies veniet. statuarque tumulo, non maestus & atrox, sed hilaris & coronatus: & pro memoria mei nec consulat quisquam, nec roget.

14 Vixdum finierat Maternus, concitatus & velut instinctus, cum VIPSTANUS MESSALA cubiculum eius ingressus est. suspicatusque ex ipsa intentione singulorum, altiorem inter eos esse sermonem, Num parum tempestivus, inquit, interveni, secretum consilium & causae alicuius meditationem tractantibus?

Minime, minime, inquit Secundus, atque adeo vellem maturius intervenisses. delectasset

enim te & Apri noſtri accuratiſſimus ſermo, cum Maternum, ut omne ingenium ac ſtudium ſuum ad cauſas agendas converteret, exhortatus eſt; & Materni pro carmiuibus ſuis laeta, utque poëtas defendi decebat, audentior, & poëtarum quam oratorum ſimilior, oratio.

Me vero, inquit, & ſermo ipſe infinita voluptate affeciſſet, atque id ipſum delectat, quod vos, viri optimi & temporum noſtrorum oratores, non forenſibus tantum negotiis, & declamatorio ſtudio ingenia veſtra exercetis, ſed eiuſmodi etiam diſputationes adiungitis, quae & ingenium alunt, & eruditionis & literarum iucundiſſimum oblectamentum cum vobis, qui illa diſputatis, afferunt, tum etiam his, ad quorum aures pervenerint. Itaque hercule non minus probari video in te, Secunde, quod *Iulii Aſiatici vitam* componendo, ſpem hominibus feciſti plurium eiuſmodi librorum; quam in Apro, quod nondum a ſcholaſticis controverſiis receſſit, & otium ſuum mavult novorum rhetorum more, quam veterum oratorum conſumere.

Tum Aper: Non deſinis, Meſſala, vetera tan- 15
tum & antiqua mirari, noſtrorum autem temporum ſtudia irridere atque contemnere? nam hunc tuum ſermonem ſaepe excepi, cum, oblitus & tuae & fratris tui eloquentiae, neminem hoc tempore oratorem eſſe contenderes; atque id eo, credo, audacius, quod maligni in iis opinionem non verebaris, cum eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipſe tibi denegares.

Neque illius, inquit, fermonis mei poenitentiam ago; neque aut Secundum, aut Maternum, aut te ipfum, Aper, (quamquam interdum in contrarium difputes) aliter fentire credo. Ac velim impetratum ab aliquo veftrûm, ut caufas huius infinitae differentiae fcrutetur ac reddat, quas mecum ipfe plerumque conquiro. Et quod quibufdam folatio eft, mihi auget quaeftionem, quia video, etiam Graiis accidiffe, ut longius abfit Aefchine & Demofthene Sacerdos ifte Nicetes, & fi quis Ephefum vel Mitylenas contentus fcholafticorum clamoribus quatit, quam Afer, aut Africanus, aut vos ipfi a Cicerone, aut Afinio receffiftis.

16 Magnam, inquit Secundus, & dignam tractatu quaeftionem movifti. fed quis eam iuftius explicaverit, quam tu, ad cuius fummam eruditionem & praeftantiffimum ingenium cura quoque & meditatio acceffit?

Et Meffala, Aperiam, inquit, cogitationes meas, fi illud a vobis ante impetravero, ut vos quoque fermonem hunc noftrum adiuvetis.

Pro duobus, inquit Maternus, promitto. nam & ego & Secundus exfequemur partes, quas intellexerimus te non tam omififfe, quam nobis reliquiffe. Aprum enim folere diffentire, & tu paulo ante dixifti; & ipfe fatis manifeftus, iamdudum in contrarium accingi, nec aequo animo perferre hanc noftram pro antiquorum laude concordiam.

Non enim, inquit Aper, inauditum & indefenfum feculum noftrum patiar hac veftra con-

ſpiratione damnari: ſed hoc primum interrogabo, quos vocetis *antiquos*, quam oratorum aetatem ſignificatione iſta determinetis? Ego enim cum audio *antiquos*, quoſdam veteres & olim natos intelligo; ac mihi verſantur ante oculos Ulyſſes & Neſtor, quorum aetas mille fere & CCC annis ſeculum noſtrum antecedit. vos autem Demoſthenem & Hyperidem profertis, quos ſatis conſtat Philippi & Alexandri temporibus floruiſſe, ita tamen, ut utrique ſuperſtites eſſent. Ex quo apparet, non multo plures, quam CCCC annos intereſſe inter noſtram & Demoſthenis aetatem. quod ſpatium temporis, ſi ad infirmitatem corporum noſtrorum referas, fortaſſe longum videatur; ſi ad naturam ſeculorum & reſpectum immenſi huius aevi, perquam breve, & in proximo eſt. Nam ſi, ut Cicero in Hortenſio ſcribit, *is eſt magnus & verus annus, quo eadem poſitio coeli ſiderumque, quae cum maxime eſt, rurſum exſiſtet, iſque annus horum, quos nos vocamus, annorum XII MDCCCCLIV complectitur:* incipit Demoſthenes veſter, quem vos *veterem & antiquum* fingitis, non ſolum eodem anno, quo nos, ſed fere eodem menſe exſtitiſſe. Sed tranſeo ad Latinos oratores, 17
in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qui poteſt videri antiquus, noſtrorum temporum diſertis anteponere ſoletis; ſed Ciceronem, & Caeſarem, & Coelium, & Calvum, & Brutum, & Aſinium, & Meſſalam, quos quidem cur antiquis temporibus potius adſcribatis, quam noſtris, non video. nam, ut de Cicerone ipſo loquar, Hirtio

nempe & Panſa Conſulibus, ut Tiro libertus eius ſcripſit, VII Idus Decemb. occiſus eſt, quo anno divus Auguſtus in locum Panſae & Hirtii ſe & Q. Pedium Coss. ſuffecit. ſtatue VI & L annos, quibus mox divus Auguſtus Rempublicam rexit; adiice Tiberii tres & viginti, & prope quadriennium Caii, ac bis quaternos denos Claudii & Neronis annos, atque ipſum Galbae & Othonis & Vitellii unum annum, ac ſextam iam felicis huius principatus ſtationem, qua Veſpaſianus Rempublicam fovet, C & XX anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas. Nam ipſe ego in Britannia vidi ſenem, qui *ſe* fateretur *ei pugnae interfuiſſe, qua Caeſarem inferentem arma Britannis arcere litoribus & pellere aggreſſi ſunt.* Ita ſi eum, qui armatus C. Caeſari reſtitit, vel captivitas, vel voluntas, vel fatum aliquod in Urbem pertraxiſſet; idem Caeſarem ipſum & Ciceronem audire potuit, & noſtris quoque actionibus intereſſe. Proximo quidem congiario ipſi vidiſtis pleroſque ſenes, qui, *ſe a divo quoque Auguſto ſemel atque iterum accepiſſe congiarium*, narrabant: ex quo colligi poteſt, & Corvinum ab illis & Aſinium audiri potuiſſe. nam Corvinus in medium uſque Auguſti principatum, Aſinius paene ad extremum duravit. Nec dividatis ſeculum, & *antiquos* ac *veteres* vocetis *oratores*, quos eorundem hominum aures agnoſcere, ac
18 velut coniungere & copulare potuerunt. Haec ideo praedixi, ut ſi qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur, ean-

dem docerem in medio ſitam, & propiorem nobis, quam Ser. Galbae, C. Carboni, quoſque alios *antiquos* merito vocaverimus. ſunt enim horridi, & impoliti, & rudes, & informes, & quos utinam imitatus in nulla parte eſſet Calvus veſter, aut Coelius, aut ipſe Cicero. Agere enim fortius iam & audentius volo, ſi illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque & genera dicendi. Sic Catoni ſeni comparatus C. Gracchus plenior & uberior: ſic Graccho politior & ornatior Craſſus: ſic utroque diſtinctior & urbanior & altior Cicero; Cicerone mitior Corvinus & dulcior & in verbis magis elaboratus. Nec quaero, *quis diſertiſſimus:* hoc interim probaſſe contentus ſum, non eſſe unum eloquentiae vultum, ſed in illis quoque, quos vocatis *antiquos*, plures ſpecies deprehendi: nec ſtatim deterius eſſe, quod diverſum eſt; vitio autem malignitatis humanae vetera ſemper in laude, praeſentia in faſtidio eſſe. Num dubitamus, inventos, qui Porcio Catone Appium Caecum magis mirarentur? Satis conſtat, ne Ciceroni quidem obtrectatores defuiſſe, quibus inflatus & tumens, nec ſatis preſſus, ſed ſupra modum exſultans & ſuperfluens, & parum Atticus videretur. Legiſtis utique & Calvi, & Bruti ad Ciceronem miſſas epiſtolas: ex quibus facile eſt deprehendere, Calvum quidem Ciceroni viſum exſanguem & attritum, Brutum autem otioſum atque disiunctum: rurſumque, Ciceronem a Calvo quidem male audiviſſe, tanquam ſolutum & enervem; a Bruto autem, ut ipſius verbis

utar, *tanquam fractum atque elumbem.* Si me in-
terroges, omnes mihi videntur verum dixisse. sed
mox ad singulos veniam: nunc mihi cum univer-
19 sis negotium est. Nam quatenus antiquorum ad-
miratores hunc velut terminum antiquitatis con-
stituere solent, quem usque ad Cassium Severum
faciunt; *quem primum* affirmant *flexisse ab illa vete-
re atque directa dicendi via.* non infirmitate inge-
nii, nec inscitia literarum transtulisse se ad id di-
cendi genus contendo, sed iudicio & intellectu.
vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum con-
ditione temporum, ac diversitate aurium, for-
mam quoque ac speciem orationis esse mutan-
dam. Facile perferebat prior iste populus, ut im-
peritus & rudis, imperitissimarum orationum spa-
tia: atque id ipsum laudi dabatur, si dicendo
quis diem eximeret. Ita vero longa principiorum
praeparatio, & narrationis alte repetita series, &
multarum divisionum ostentatio, & mille argu-
mentorum gradus, & quidquid aliud aridissimis
Hermagorae & Apollodori libris praecipitur, in
honore erat: & si quis odoratus philosophiam,
atque ex ea locum aliquem orationi suae insere-
ret, in coelum laudibus ferebatur. Nec mirum.
erant enim haec nova & incognita: & ipsorum
quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum,
aut philosophorum placita, cognoverant. At her-
cule pervulgatis iam omnibus, cum vix in coro-
na quisquam assistat, qui elementis studiorum,
etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis
& exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per

quae orator faſtidium aurium effugiat; utique apud eos iudices, qui vi aut poteſtate, non iure & legibus cognoſcunt, & nec accipiunt tempora, ſed conſtituunt, nec exſpectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipſo negotio dicere, ſed ſaepe ultro admonent, atque alio transgredientem revocant, & feſtinare ſe teſtantur. Quis 20
nunc ferat oratorem de infirmitate valetudinis ſuae praefantem? qualia ſunt fere principia Corvini. Quis quinque in Verrem libros exſpectabit? Quis de exceptione & formula perpetietur illa immenſa volumina, quae pro M. Tullio, aut A. Caecina legimus? Praecurrit hoc tempore iudex dicentem, & niſi aut curſu argumentorum, aut colore ſententiarum, aut nitore & cultu deſcriptionum invitatus & corruptus eſt, averſatur dicentem. Vulgus quoque aſſiſtentium, & affluens & vagus auditor, aſſuevit iam exigere laetitiam & pulchritudinem orationis; neque magis perfert in iudiciis triſtem & impexam antiquitatem, quam ſi quis in ſcena Roſcii aut Turpionis Ambivii exprimere geſtus velit. Iam vero iuvenes, & in ipſa ſtudiorum incude poſiti, qui profectus ſui cauſa oratores ſectantur, non ſolum audire, ſed etiam referre domum aliquid illuſtre & dignum memoria volunt: traduntque invicem, ac ſaepe in colonias ac provincias ſuas ſcribunt, ſive in ſuis aliquis arguta & brevi ſententia effulſit, ſive locus exquiſito & poëtico cultu enituit. exigitur enim iam ab oratore etiam poëticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, ſed ex Hora-

tii & Virgilii & Lucani ſacrario prolatus. Horum igitur auribus & iudiciis obtemperans noſtrorum oratorum aetas, pulchrior & ornatior exſtitit. neque ideo minus efficaces ſunt orationes noſtrae, quia ad aures iudicantium cum voluptate perveniunt. Quid enim ſi infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento, & informibus tegulis exſtruuntur, ſed marmore nitent,
21 & auro radiantur? Equidem fateor vobis ſimpliciter, me in quibuſdam antiquorum vix riſum, in quibuſdam autem vix ſomnum tenere, nec unum de populo. Canutii, aut Attii, vel Furnii, vel Curiones aliis, in eodem valetudinario, haec oſſa & hanc maciem probant. Ipſe mihi Calvus, cum unum & viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una aut altera oratiuncula ſatisfacit: nec diſſentire ceteros ab hoc meo iudicio video. quotus enim quiſque Calvi *in Aſitium* aut *in Druſum* legit? at hercule in hominum ſtudioſorum manibus verſantur accuſationes, quae *in Vatinium* inſcribuntur, ac praecipue ſecunda ex his oratio. eſt enim verbis ornata, & ſententiis auribus iudicum accommodata: ut ſcias, ipſum quoque Calvum intellexiſſe, quid melius eſſet; nec voluntatem, quin ſublimius & cultius diceret, ſed ingenium ac vires defuiſſe. Quid? ex Coelianis orationibus? nempe hae placent, ſive in univerſa parte factum, in quibus nitorem & altitudinem horum temporum agnoſcimus. ſordes autem verborum, & hians compoſitio, & inconditi ſenſus redolent antiquitatem: nec quemquam adeo an-

tiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est. Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum, & occupationes rerum, minus eloquentia effecerit, quam divinum eius ingenium postulabat: tam hercule, quam Brutum philosophiae suae relinquamus. nam in orationibus minorem esse fama sua, etiam admiratores eius fatentur. nisi forte quisquam aut Caesaris *pro Decio Samnite*, aut Bruti *pro Deiotaro rege*, ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui & carmina eorundem miratur. fecerunt enim & carmina, & in bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia, illos fecisse, pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios & Appios studuisse. Pacuvium certe & Attium non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus & siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra & exsurgit toris, ipsosque nervos rubor tegit & decor commendat. Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetit, quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret. viderimus inquam iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit. Ad Cicero- 22
nem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit, quae mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur; ipse suorum temporum elo-

quentiam anteponebat: nec ulla re magis eiusdem aetatis oratores praecurrit, quam iudicio. Primus enim excoluit orationem; primus & verbis delectum adhibuit, & compositioni artem: locos quoque laetiores attentavit; & quasdam sententias invenit; utique in his orationibus, quas senior iam & iuxta finem vitae composuit, id est, postquam magis profecerat, usuque & experimentis didicerat, quod optimum discendi genus est. Nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis. lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus, tarde commovetur, raro incalescit, pauci sensus apte & cum quodam lumine terminantur. nihil excerpere, nihil referre possis: & velut in rudi aedificio, firmus sane paries & duraturus, sed non satis expolitus & splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum & oculos delectet: non ea solum instrui supellectile, quae necessariis usibus sufficiat; sed sit in apparatu eius & aurum, & gemmae, ut sumere in manus, & adspicere saepius libeat; quaedam vero procul arceantur, ut iam obliterata & olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tarda & inerti structura, in morem Annalium, componantur; fugiat foedam & insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno & eodem modo terminet.

23 Nolo irridere *rotam fortunae* & *ius Verrinum*, & il-

lud, tertio quoque ſenſu in omnibus orationibus pro ſententia poſitum, *eſſe videatur.* nam & hoc invitus retuli; & plura omiſi, quae tamen ſola mirantur atque exprimunt hi, qui ſe antiquos oratores vocant. neminem nominabo, genus hominum ſignaſſe contentus: ſed vobis utique verſantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, & Lucretium pro Virgilio legunt; quibus eloquentia tui Aufidii Baſſi, aut Servilii Noniani, ex comparatione Siſennae aut Varronis, ſordet; qui rhetorum noſtrorum commentarios faſtidiunt, oderunt, Calvi mirantur; quos more priſco apud iudicem fabulantes, non auditores ſequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur. adeo maeſti & inculti illam ipſam, quam iactant *ſanitatem*, non firmitate, ſed ieiunio conſequuntur. Porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quae animi anxietate contingit. parum eſt, aegrum non eſſe: fortem, & laetum, & alacrem volo. prope abeſt ab infirmitate, in quo ſola ſanitas laudatur. Vos vero, diſertiſſimi, ut poteſtis, ut facitis, illuſtrate ſeculum noſtrum pulcherrimo genere dicendi. Nam & te, Meſſala, video laetiſſima quaeque antiquorum imitantem: & vos, Materne ac Secunde, ita gravitate ſenſuum nitorem & cultum verborum miſcetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea, quoties cauſa poſcit, ubertas, ea, quoties permittitur, brevitas, is compoſitionis decor, ea ſententiarum plenitas eſt, ſic exprimitis affectus, ſic libertatem temperatis, ut

etiam si nostra iudicia malignitas & invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri.

24 Quae cum Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit Maternus, vim & ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu seculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione & arte, ab ipsis mutuatus est, per quae mox ipsos incesseret! Tuum tamen, Messala, promissum immutasse non debes. neque enim defensores antiquorum exigimus, nec quemquam nostrorum, quamquam modo laudati sumus, his, quos insectatus est Aper, comparamus. ac ne ipse quidem ita sentit, sed, more veteri & alias vestris philosophis saepe celebrato, sumsit sibi contradicendi partes. Exprome nobis, non laudationem antiquorum, (satis enim illos fama sua laudat) sed causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus; cum praesertim centum & XX annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.

25 Tum Messala: Sequar a te praescriptam formam, Materne. neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor, nominis controversiam movit, tanquam parum proprie *antiqui* vocarentur, quos satis constat ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non est: sive illos *antiquos*, sive *maiores*, sive quo alio mavult nomine, appellet: dummodo in confesso sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti

fermonis eius repugno fic, quo minus fatear, plures formas dicendi etiam iifdem feculis, nedum diverfis, exftitiffe. Sed quo modo inter Atticos oratores primae Demofthени tribuuntur, proximum autem locum Aefchines, & Hyperides, & Lyfias, & Lycurgus obtinent; omnium autem confenfu haec oratorum aetas maxime probatur: fic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum difertos anteceffit; Calvus autem, & Afinius, & Caefar, & Coelius, & Brutus, fuo iure, & prioribus, & fequentibus anteponuntur. Nec refert, quod inter fe fpecie differant, cum genere confentiant. adftrictior Calvus, numerofior Afinius, fplendidior Caefar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero; omnes tamen eandem fanitatem eloquentiae ferunt: ut fi omnium pariter libros in manum fumferis, fcias, quamvis in diverfis ingeniis, effe quandam iudicii ac voluntatis fimilitudinem & cognationem. Nam quod invicem fe obtrectaverunt, (& fuperfunt aliqua epiftolis eorum inferta, ex quibus mutua malignitas detegitur) non eft oratorum vitium, fed hominum. nam & Calvum, & Afinium, & ipfum Ciceronem credo folitos & invidere, & livere, & ceteris humanae infirmitatis vitiis affici. Solum inter hos arbitror Brutum, non malignitate, nec invidia, fed fimpliciter & ingenue iudicium animi fui detexiffe. an invideret Ciceroni, qui mihi videtur ne Caefari quidem invidiffe? Quod ad Ser. Galbam & C. Laelium attinet, & fi quos alios

antiquorum agitare non destitit; non exigit defensorem, cum fatear, quaedam eloquentiae eorum, ut nascenti adhuc, nec satis adultae, de-
26 fuisse. Ceterum si, omisso optimo illo & perfectissimo genere eloquentiae, eligenda sit forma dicendi; malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis, aut tinnitus Gallionis. Adeo melius est oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis & meretriciis vestibus insignire. neque enim oratorius iste, immo, hercule, ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum, & levitate sententiarum, & licentia compositionis, histrionales modos exprimant. quodque vix auditu fas esse debeat, laudis & gloriae & ingenii loco plerique iactant, *cantari saltarique commentarios suos.* Unde oritur illa foeda & praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut *oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare* dicantur. Equidem non negaverim, Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si his comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat, quam sanguinis. primus enim, contemto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam, quibus utitur, armis incompositus, & studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat, sed rixatur. ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus, & varietate eruditionis, & lepore urbanitatis, & ipsarum virium

robore, multum ceteros superat, quorum neminem Aper nominare, & velut in aciem educere sustinuit. Ego autem exspectabam, ut incusato Asinio, & Coelio, & Calvo, aliud nobis agmen produceret, pluresque, vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis demum singulos opponeremus. Nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est, nisi in publicum & in commune; veritus, credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset. quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum? At ego non 27
verebor nominare singulos, quo facilius, propositis exemplis, appareat, quibus gradibus fracta sit & deminuta eloquentia.

Appropera, inquit Maternus, & potius exsolve promissum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me equidem in confesso est; sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitior, & eloquentiae temporum nostrorum non iratus, antequam te Aper offenderet, maiores tuos lacessendo.

Non sum, inquit, offensus Apri nostri disputatione; nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringet: cum sciatis, hanc esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi, citra damnum affectus, proferre.

Perge, inquit Maternus, & cum de antiquis

loquaris, utere antiqua libertate, a qua vel magis degeneravimus, quam ab eloquentia.

28 Et Messala, Non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi, aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas; etiamsi mihi partes assignatis proferendi in medium, quae omnes sentimus. Quis enim ignorat, & eloquentiam, & ceteras artes desciviſſe ab ista vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia iuventutis, & negligentia parentum, & inscientia praecipientium, & oblivione moris antiqui? quae mala primum in Urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant: quamquam nostra nobis notiora sunt. Ego de Urbe, & his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt, & per singulos aetatis gradus cumulantur: si prius de severitate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. Iam primum, suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emtae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat, tueri domum & inservire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis cuiuspiam familiae suboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augu-

ſti matrem praefuiſſe educationibus ac produxiſ-
ſe principes liberos accepimus. quae diſciplina
ac ſeveritas eo pertinebat, ut ſincera & integra
& nullis pravitatibus detorta uniuſcuiuſque na-
tura toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas,
& ſive ad rem militarem, ſive ad iuris ſcientiam,
ſive ad eloquentiae ſtudium inclinaſſet, id ſo-
lum ageret, id univerſum hauriret. At nunc na- 29
tus infans delegatur Graeculae alicui ancillae,
cui adiungitur unus aut alter ex omnibus ſervis,
plerumque viliſſimus, nec cuiquam ſerio mini-
ſterio accommodatus. Horum fabulis & errori-
bus teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur:
nec quiſquam in tota domo penſi habet, quid
coram infante domino aut dicat, aut faciat: quan-
do etiam ipſi parentes nec probitati, neque mo-
deſtiae, parvulos aſſuefaciunt, ſed laſciviae & di-
cacitati; per quae paulatim impudentia irrepit,
& ſui alienique contemtus. Iam vero propria &
peculiaria huius Urbis vitia paene in utero ma-
tris concipi mihi videntur, hiſtrionalis favor &
gladiatorum equorumque ſtudia: quibus occu-
patus & obſeſſus animus quantulum loci bonis
artibus relinquit? quotum quemque inveneris,
qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios
adoleſcentulorum ſermones excipimus, ſi quan-
do auditoria intravimus? Ne praeceptores qui-
dem ullas crebriores cum auditoribus ſuis fabu-
las habent. colligunt enim diſcipulos, non ſeve-
ritate diſciplinae, nec ingenii exprimento, ſed
ambitione ſalutantium, & illecebris adulationis.

Transeo prima discentium elementa, in quibus
& ipsis parum elaboratur: nec in auctoribus co-
gnoscendis, nec in evolvenda antiquitate, nec
in notitia vel rerum, vel hominum, vel tempo-
30 rum satis operae insumitur. Sed expetuntur, quos
Rhetoras vocant: quorum professio quando pri-
mum in hanc urbem introducta sit, quamque
nullam apud maiores nostros auctoritatem ha-
buerit, statim dicturus, referam necesse est ani-
mum ad eam disciplinam, qua usos esse eos
oratores accepimus, quorum infinitus labor, &
quotidiana meditatio, & in omni genere studio-
rum exercitationes, ipsorum etiam continentur
libris. Notus est vobis utique Ciceronis liber, qui
Brutus inscribitur: in cuius extrema parte, (nam
prior commemorationem veterum oratorum ha-
bet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae
velut quandam educationem refert: *se apud Q.
Mucium ius civile didicisse; apud Philonem Acade-
micum, apud Diodotum Stoicum omnes philosophiae
partes penitus hausisse: neque his doctoribus conten-
tum, quorum ei copia in Urbe contigerat, Achaiam
quoque & Asiam peragrasse, ut omnem omnium ar-
tium varietatem complecteretur.* Itaque hercule in
libris Ciceronis deprehendere licet, non geome-
triae, non musicae, non grammaticae, non de-
nique ullius ingenuae artis scientiam ei defuisse.
Ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis
utilitatem, ille rerum motus causasque cogno-
vit. Ita enim est, optimi viri; ita ex multa eru-
ditione, ex pluribus artibus, & omnium rerum

ſcientia exundat & exuberat illa admirabilis elo-
quentia. neque oratoris vis & facultas, ſicut ce-
terarum rerum, anguſtis & brevibus terminis
cluditur; ſed is eſt orator, qui de omni quae-
ſtione pulchre & ornate & ad perſuadendum apte
dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem tem-
porum, cum voluptate audientium poſſit. Haec 31
ſibi illi veteres perſuadebant. ad haec efficienda
intelligebant opus eſſe, non ut rhetorum ſcho-
lis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad
veritatem accedentibus, controverſiis linguam
modo & vocem exercerent; ſed ut his artibus pe-
ctus implerent, in quibus de bonis ac malis, de
honeſto ac turpi, de iuſto & iniuſto diſputatur.
Haec enim eſt oratori ſubiecta ad dicendum ma-
teria. Nam in iudiciis fere de aequitate, in de-
liberationibus de honeſtate dicimus, ita ut ple-
rumque haec ipſa invicem miſceantur: de qui-
bus copioſe, & varie, & ornate nemo dicere pot-
eſt, niſi qui cognovit naturam humanam, & vim
virtutum, pravitatemque vitiorum, & intelle-
ctum eorum, quae nec in virtutibus, neque in
vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa pro-
fluunt, ut facilius iram iudicis vel inſtiget, vel
leniat, qui ſcit, *quid ira;* promtius ad misera-
tionem impellat, qui ſcit, *quid ſit miſericordia*,
& quibus animi motibus concitetur. In his ar-
tibus exercitationibuſque verſatus orator, ſive
apud infeſtos, ſive apud cupidos, ſive apud in-
videntes, ſive apud triſtes, ſive apud timentes
dicendum habuerit, tenebit habenas animorum:

& prout cuiuſque natura poſtulabit, adhibebit manum, & temperabit orationem, parato omni inſtrumento, & ad omnem uſum repoſito. Sunt, apud quos adſtrictum, & collectum, & ſingula ſtatim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dediſſe operam dialecticae proficiet. alios fuſa, & aequalis, & ex communibus ducta ſenſibus, oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur aliquid a Peripateticis. hi aptos, & in omnem diſputationem paratos iam locos dabunt; Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem & Metrodori honeſtas quaſdam exclamationes aſſumere, hiſque, prout res poſcit, uti, alienum erit oratori. Neque enim Sapientem informamus, neque Stoicorum civitatem, ſed eum, qui non quaſdam artes audire, ſed omnes liberaliter debet. ideoque & iuris civilis ſcientiam veteres oratores comprehendebant; & grammatica, muſica, & geometria imbuebantur. incidunt enim cauſae plurimae quidem, ac paene omnes, quibus iuris notitia deſideratur; pleraeque autem, in quibus hae quoque ſcientiae re-
32 quiruntur. Nec quiſquam reſpondeat: *ſufficit, ut ad tempus ſimplex quiddam & uniforme doceamur.* Primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis: longeque intereſſe manifeſtum eſt, poſſideat quis, quae profert, an mutuetur. deinde ipſa multarum artium ſcientia etiam aliud agentes nos ornat, atque, ubi minime credas, eminet & excellit: idque non doctus modo & pru-

dens auditor, sed etiam populus intelligit, ac statim ita laude prosequitur, ut *legitime studuisse*, ut *per omnes eloquentiae numeros isse*, ut *denique oratorem etiam* fateatur: quem non posse aliter exsistere, nec exstitisse unquam confirmo, nisi eum, qui, tanquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum sex quoque quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant Senatusconsulta, ius civitatis ultro derideant, sapientiae vero studium & praecepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus & angustas sententias detrudant eloquentiam, velut expulsam regno suo; ut quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa & amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis, discatur. Ego hanc primam & praecipuam causam arbitror, cur tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur: quos potiores nominabo, quam apud Graecos Demosthenem? quem *studiosissimum Platonis auditorem fuisse*, memoriae proditum est. Et Cicero, his, ut opinor, verbis, *quidquid in eloquentia effecerit, id se non in rhetorum, sed Academiae spatiis consecutum*. Sunt aliae causae, magnae & graves, quas a vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego iam meum munus explevi, &, quod

mihi in consuetudine est, satis multos offendi: qui si forte hoc audirent, certum habeo dicturos, me, dum iuris & philosophiae scientiam, tanquam oratori necessariam, laudo, ineptiis meis plausisse.

33 Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum, & velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris. nam quibus instrui veteres oratores soliti sint, dixisti, differentiamque nostrae desidiae & inscientiae adversus acerrima & foecundissima eorum studia demonstrasti: cetera exspecto, ut, quemadmodum ex te didici, quid aut illi scirent, aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus iuvenes, iam & forum ingressuri, confirmare & alere ingenia sua soliti sint. neque enim arte & scientia, sed longe magis facultate eloquentiam contineri, nec tu, puto, abnues, & hi significare vultu videntur.

Deinde, cum Aper & Secundus idem annuissent, Messala, quasi rursus incipiens: Quoniam initia & semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor, docendo, quibus artibus antiqui oratores instititui erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationem eorum; quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas, aut tam varias res potest, nisi ut scientiae meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiae accedat. per quae colligitur, eandem esse rationem, & percipiendi, quae proferas, & proferendi, quae perceperis. Sed si cui obscurio-

ra haec videntur, iſque ſcientiam ab exercitatione ſeparat, id certe concedet, inſtructum & plenum his artibus animum, longe paratiorem ad eas exercitationes venturum, quae propriae curae oratorum videntur. Ergo apud maiores no- 34
ſtros iuvenis ille, qui foro & eloquentiae parabatur, imbutus iam domeſtica diſciplina, refertus honeſtis ſtudiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in civitate obtinebat. hunc ſectari, hunc proſequi, huius omnibus dictionibus intereſſe, ſive in iudiciis, ſive in concionibus, aſſueſcebat, ita ut altercationes quoque excipere, & iurgiis intereſſe, utque ſic dixerim, pugnare in proelio diſceret. magnus ex hoc uſus, multum conſtantiae, plurimum iudicii iuvenibus ſtatim contingebat, in media luce ſtudentibus, atque inter ipſa diſcrimina, ubi nemo impune ſtulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus & iudex reſpuat, & adverſarius exprobret, ipſi denique advocati aſpernentur. Igitur vera ſtatim & incorrupta eloquentia imbuebantur. & quamquam unum ſequerentur: tamen omnes eiuſdem aetatis patronos in plurimis & cauſis & iudiciis cognoſcebant; habebantque ipſius populi diverſiſſimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent, quid in quoque vel probaretur, vel diſpliceret. Ita nec praeceptor deerat, optimus quidem, & electiſſimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praeſtaret; nec adverſarii & aemuli, ferro, non rudibus, dimicantes: ſed auditorium ſemper ple-

num, semper novum, ex invidis & faventibus, ut nec male, nec bene dicta dissimularentur. Scitis enim, magnam illam & duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari, quam suis: quin immo constantius surgere ibi, fidelius corroborari. Atque hercule sub eiusmodi praeceptoribus iuvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus & assuefactus alienis experimentis, cui, quotidie audienti, notae leges, non novi iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem susceperat, sive defensionem, solus statim & unus cuicunque causae par erat. Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno & vicesimo Caesar Dolabellam, altero & XX Asinius Pollio C. Catonem, non multo aetate antecedens Calvus Vatinium, iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus. 35 At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui *rhetores* vocantur: quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse maioribus nostris, ex eo manifestum est, quod L. Crasso & Domitio Censoribus, *cludere*, ut ait Cicero, *ludum impudentiae* iussi sunt. Sed, ut dicere instituеram, deducuntur in scholas, quibus, non facile dixerim, utrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reverentiae, sed in quem nemo, nisi aeque imperitus intrat: in condiscipulis nihil profectus; cum pueri inter

pueros, & adoleſcentuli inter adoleſcentulos, pari ſecuritate & dicant, & audiantur: ipſae vero exercitationes magna ex parte contrariae. nempe enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur, ſuaſoriae & controverſiae. ex iis ſuaſoriae quidem, etſi tanquam plane leviores & minus prudentiae exigentes, pueris delegantur; controverſiae robuſtioribus aſſignantur, quales per fidem, & quam incredibiliter compoſitae! Sequitur autem, ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur. Sic fit, ut tyrannicidarum praemia, aut vitiatarum electiones, aut peſtilentiae remedia, aut inceſta matrum, aut quidquid in ſchola quotidie agitur, in foro vel raro, vel nunquam, ingentibus verbis perſequantur: cum ad veros iudices ventum eſt, * *

* * rem cogitare, nihil humile, nihil abiectum eloqui poterat. Magna eloquentia, ſicut flamma, 36
materia alitur, & motibus excitatur, & urendo clareſcit. Eadem ratio in noſtra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam etſi horum quoque temporum oratores ea conſecuti ſunt, quae, compoſita & quieta & beata Republica, tribui fas erat: tamen iſta perturbatione ac licentia plura ſibi aſſequi videbantur, cum, mixtis omnibus, & moderatore uno carentibus, tantum quiſque orator ſaperet, quantum erranti populo perſuaderi poterat. Hinc leges aſſiduae, & populare nomen: hinc conciones magiſtratuum, paene pernoctantium in roſtris: hinc accuſationes potentium reorum, & aſſignatae etiam domi-

bus inimicitiae: hinc procerum factiones, & assidua Senatus adversus plebem certamina. quae singula etsi distrahebant Rempublicam; exercebant tamen illorum temporum eloquentiam, & magnis cumulare praemiis videbantur: quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud Principes gratiae, plus auctoritatis apud Patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant: hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant: hos & Praeturae & Consulatus vocare ultro videbantur: hi ne privati quidem sine potestate erant; cum & populum & Senatum consilio & auctoritate regerent. Quin immo sibi ipsi persuaserant, neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate, aut tueri conspicuum & eminentem locum. nec mirum; cum etiam inviti ad populum producerentur; cum parum esset, in Senatu breviter censere, nisi qui ingenio & eloquentia sententiam suam tueretur; cum in aliquam invidiam aut crimen vocati, sua voce respondendum haberent; cum testimonia quoque in publicis causis, non absentes, nec per tabellam dare, sed coram & praesentes dicere cogerentur. Ita ad summa eloquentiae praemia, magna etiam necessitas accedebat: & quomodo disertum haberi, pulchrum & gloriosum; sic contra mutum & elinguem videri, deforme habebatur.
37 Ergo non minus rubore, quam praemiis stimula-

bantur, ne clientulorum loco potius, quam patronorum numerarentur, ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent, ne, tanquam inertes & non suffecturi honoribus, aut non impetrarent, aut impetratos male tuerentur. Nescio an venerint in manus vestras adversaria, quae in antiquariorum bibliothecis adhuc manent, & nunc maxime a Muciano contrahuntur: ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris, & tribus Epistolarum composita & edita sunt. Ex his intelligi potest, Cn. Pompeium & Marcum Crassum, non viribus modo & armis, sed ingenio quoque & oratione valuisse: Lentulos, & Metellos, & Lucullos, & Curiones, & ceteram procerum manum, multum in his studiis operae curaeque posuisse: nec quemquam illis temporibus magnam potentiam, sine eloquentia, consecutum. His accedebat splendor rerum, & magnitudo causarum, quae & ipsa plurimum eloquentiae praestant. Nam multum interest, utrumne de furto, aut formula, & interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis, & civibus trucidatis. quae mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, quo nihil tale patimur: ita, cum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram & illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit. Non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit: nec Ciceronem

magnum oratorem P. Quinctius defensus, aut Licinius Archias faciunt. Catilina, & Milo, & Verres, & Antonius, hanc illi famam circumdederunt: non, quia tanti fuit, Rempublicam malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus, sciamusque, nos de ea re loqui, quae facilius turbidis & inquietis temporibus exstitit. Quis ignorat, utilius ac melius esse, frui pace, quam bello vexari? plures tamen bonos proeliatores bella, quam pax, ferunt. Similis eloquentiae conditio. nam quo saepius steterit tanquam in acie, quoque plures & intulerit ictus & exceperit, quo maior adversarius & acrior, quicum pugnas sibi asperas desumserit: tanto altior & excelsior, & illis nobilitata discriminibus, in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut secura nolint. Transeo ad formam &
38 consuetudinem veterum iudiciorum. quae etsi nunc aptior est civitati; eloquentia tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur, & liberae comperendinationes erant, & modum dicendi sibi quisque sumebat, & numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus, tertio Consulatu, Cn. Pompeius adstrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen, ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud Praetores gererentur. apud quos quanto maiora negotia olim exerceri solita sint, quod maius argumentum est, quam quod causae centumvirales, quae

nunc primum obtinent locum, adeo ſplendore
aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ci-
ceronis, neque Caeſaris, neque Bruti, neque Coe-
lii, neque Calvi, non denique ullius magni ora-
toris liber, apud Centumviros dictus, legatur?
exceptis orationibus Aſinii, quae *pro heredibus
Urbiniae* inſcribuntur, ab ipſo tamen Pollione,
mediis divi Auguſti temporibus, habitae, poſt-
quam longa temporum quies, & continuum po-
puli otium, & aſſidua Senatus tranquillitas, & ma-
ximi Principis diſciplina, ipſam quoque eloquen-
tiam, ſicut omnia alia, pacaverat. Parvum & ridi- 39
culum fortaſſe videbitur, quod dicturus ſum; di-
cam tamen, vel ideo, ut rideatur. Quantum hu-
militatis putamus eloquentiae attuliſſe paenulas
iſtas, quibus adſtricti & velut incluſi cum iudici-
bus fabulamur? quantum virium detraxiſſe ora-
tioni auditoria & tabularia credimus, in quibus
iam fere plurimae cauſae explicantur? nam quo-
modo nobiles equos curſus & ſpatia probant; ſic eſt
aliquis oratorum campus, per quem niſi liberi &
ſoluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia.
Ipſam quin immo curam & diligentis ſtili anxie-
tatem contrariam experimur; quia ſaepe interro-
gat iudex, *quando incipias;* & ex interrogatione
eius incipiendum eſt. frequenter probationibus
& teſtibus ſilentium patronus indicit. unus inter
haec dicenti ac alter aſſiſtit; & res velut in ſolitu-
dine agitur. Oratori autem clamore plauſuque
opus eſt, & velut quodam theatro: qualia quoti-
die antiquis oratoribus contingebant; cum tot

pariter ac tam nobiles forum coarctarent; cum clientelae quoque, & tribus, & municipiorum legationes, ac partes Italiae periclitantibus assisterent; cum in plerisque iudiciis crederet populus Romanus, sua interesse, quid iudicaretur. Satis constat, C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, & L. Bestiam, & P. Vatinium, concursu totius civitatis & accusatos, & defensos; ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare & incendere potuerint. Itaque hercule eiusmodi libri exstant, ut ipsi quoque, qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur.

40 Iam vero conciones assiduae, & datum ius potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione, aut Sulla, aut Cn. Pompeio abstinerent, & ad incessendos principes viros, ut est natura invidiae, populi quoque histriones auribus uteruntur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! Non de otiosa & quieta re loquimur, & quae probitate & modestia gaudeat: sed est magna ista & notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti *libertatem* vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, arrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accipimus? quarum civitatum severissima disciplina, & severissimae leges traduntur. Ne Macedonum quidem, ac Persarum, aut ul-

lius gentis, quae certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, Athenienſes plurimi, oratores exſtiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut ſic dixerim, omnes poterant. Noſtra quoque civitas, donec erravit, donec ſe partibus & diſſenſionibus & diſcordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in Senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio, nulla ſuperiorum reverentia, nullus magiſtratuum modus, tulit ſine dubio valentiorem eloquentiam; ſicuti indomitus ager habet quaſdam herbas laetiores. Sed nec tanti Reipublicae Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur & leges: nec bonae formam eloquentiae Cicero tali exitu penſavit. Sic quoque, 41
quod ſupereſt antiquis oratoribus forum, non emendatae, nec uſquam ad votum compoſitae civitatis argumentum eſt. quis enim nos advocat, niſi aut nocens aut miſer? quod municipium in clientelam noſtram venit, niſi quod aut vicinus populus, aut domeſtica diſcordia agitat? quam provinciam tuemur, niſi ſpoliatam vexatamque? Atqui melius fuiſſet non queri, quam vindicari. quod ſi inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, ſupervacuus eſſet inter innocentes orator, ſicut inter ſanos medicus. Quo modo tamen minimum uſus minimumque profectus ars medentis habet in his gentibus, quae firmiſſima valetudine ac ſaluberrimis corporibus utuntur: ſic minor oratorum obſcuriorque gloria eſt inter bonos mores, & in obſequium regentis paratos.

Quid enim opus eſt longis in Senatu ſententiis, cum optimi cito conſentiant? quid multis apud populum concionibus, cum de Republica non imperiti & multi deliberent, ſed ſapientiſſimus & unus? quid voluntariis accuſationibus, cum tam raro & tam parce peccetur? quid invidioſis & excedentibus modum defenſionibus, cum clementia cognoſcentis obviam periclitantibus eat? Credite, optimi, &, in quantum opus eſt, diſertiſſimi viri, ſi aut vos prioribus ſeculis, aut iſti, quos miramur, his nati eſſent, ac Deus aliquis vitas veſtras, veſtra tempora repente mutaſſet; nec vobis ſumma illa laus & gloria in eloquentia, neque illis modus & temperamentum defuiſſet. Nunc, quoniam nemo eodem tempore aſſequi poteſt magnam famam & magnam quietem, bono ſeculi ſui quiſque, citra obtrectationem alterius, utatur. Finierat Maternus.

42 Tum Meſſala: Erant, quibus contradicerem, erant, de quibus plura dici vellem, niſi iam dies eſſet exactus. Fiet, inquit Maternus, poſtea arbitratu tuo, & ſi qua tibi obſcura in hoc meo ſermone viſa ſunt, de his rurſus conferemus. ac ſimul aſſurgens, & Aprum complexus, Ego, inquit, te poëtis, Meſſala antiquariis, criminabimur. At ego vos rhetoribus & ſcholaſticis, inquit. Cum arriſiſſent, diſceſſimus.

AD ANNAL. LIB. XI, cap. 24.

Tabulae aeneae duae Lugduni erutae ad latus aedis S. Sebaſtiani an. 1529, quae Claudii Imp. Orationem continent, ſuper civitate Gallis danda.

Pagina prima.

mae rerum noſter . . . . . ſii . . . . ; equidem primam omnium illam cogitationem hominum quam maxime primam occurſuram mihi provideo: deprecor. ne quaſi novam iſtam rem introduci exhorreſcatis; ſed illa potius cogitetis. quam multa in hac civitate novata ſint & quidem ſtatim ab origine urbis noſtrae. in quot formas ſtatuſque reſpublica noſtra diducta ſit. quondam reges hanc tenuere urbem: nec tamen domeſticis ſucceſſoribus eam tradere contigit. ſupervenere alieni & quidam externi; ut numa romulo ſucceſſerit ex ſabinis veniens. vicinus quidem ſed tunc externus; ut anco marcio priſcus tarquinius propter temeratum ſanguinem. quod patre demarato corinthio natus erat & tarquinienſi matre generoſa ſed inopi ut quae tali marito neceſſe habuerit ſuccumbere. cum domi repelleretur a gerendis honoribus. poſtquam romam migravit. regnum adeptus eſt. huic quoque & filio nepotive eius. nam & hoc inter auctores diſcrepat. inſertus ſervius tullius. ſi noſtros ſequimur. captiva natus ocreſia. ſi tuſcos. caeli quondam vivennae ſo-

dalis fidelissimus omnisque eius casus comes, post-quam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis caeliani exercitus etruria excessit, montem caelium occupavit & a duce suo caelio ita appellitatus mutatoque nomine, nam tusce mastarna ei nomen erat, ita appellatus est ut dixi, & regnum summa cum reipublicae utilitate obtinuit. deinde postquam tarquinI superbi mores invisi civitati nostrae esse coeperunt, qua ipsius qua filiorum eius nempe pertaesum est mentes regni, & ad consules annuos magistratus administratio reipublicae translata est.

quid nunc commemorem dictaturae hoc ipso consulari imperium valentius repertum apud maiores nostros quo in asperioribus bellis aut in civili motu difficiliore uterentur, aut in auxilium plebis creatos tribunos plebei? quid a consulibus ad decemviros translatum imperium, solutoque postea decemvirali regno ad consules rursus reditum? quid in p. . . . . uris distributum consulare imperium, tribunosque militum consulari imperio appellatos, qui seni & saepe octoni crearentur? quid communicatos postremo cum plebe honores non imperI solum sed sacerdotiorum quoque. iam si narrem bella a quibus coeperint maiores nostri & quo processerimus, vereor ne nimio insolentior esse videar & quaesisse iactationem gloriae prolati imperi ultra oceanum. sed illoc potius revertar civitatem.

Pagina secunda.

. . . . sane . . . .
novo. . . . . divus aug. . . . .
no. . . . . . . lus & patruus ti. caesar omnem flo-

rem ubique coloniarum ac municipiorum. bonorum ſcilicet virorum & locupletium. in hac curia eſſe voluit. quid ergo non italicus ſenator provinciali potior eſt? iam vobis cum hanc partem cenſurae meae approbare coepero. quid de ea re ſentiam. rebus oſtendam. ſed ne provinciales quidem. ſi modo ornare curiam poterint. recipiendos puto. ornatiſſima ecce colonia valentiſſimaque viennenſium quam longo iam tempore ſenatores huic curiae confert? ex qua colonia inter paucos equeſtris ordinis ornamentum l. veſtinum familiariſſime diligo & hodieque in rebus meis detineo; cuius liberi fruantur quaeſo primo ſacerdotiorum gradu. poſt modo cum annis promoturi dignitatis ſuae incrementa. ut dirum nomen latronis taceam. & odi illud paleſtricum prodigium. quod ante in domum conſulatum intulit quam colonia ſua ſolidum civitatis Romanae beneficium conſecuta eſt. idem de fratre eius poſſum dicere miſerabili quidem indigniſſimoque hoc caſu. ut vobis utilis ſenator eſſe non poſſit.

tempus eſt iam. ti. caeſar germanice. detegere te patribus conſcriptis. quo tendat oratio tua. iam enim ad extremos fines Galliae narbonenſis veniſti.

tot ecce inſignes iuvenes quot intueor. non magis ſunt paenitendi ſenatores. quam paenitet perſicum. nobiliſſimum virum amicum meum. inter imagines maiorum ſuorum allobrogici nomen legere. quod ſi haec ita eſſe conſentitis. quid ultra deſideratis quam ut vobis digito demonſtrem. ſolum ipſum ultra fines provinciae narbonenſis iam vobis ſenatores mittere. quando ex lugduno habere nos noſtri ordinis viros

non paenitet. timide quidem p. c. egressus adsuetos familiaresque vobis provinciarum terminos sum. sed districte iam comatae galliae causa agenda est. in qua si quis hoc intuetur quod bello per decem annos exercuerunt divom iulium. idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque multis trepidis rebus nostris plusquam expertum. illi patri meo druso. germaniam subigenti. tutam quiete sua securamque a tergo pacem praestiterunt; & quidem cum adcensi novo tum opere & inadsueto galliis ad bellum avocatus esset. quod opus quam arduum sit. nobis nunc cum maxime. quamvis nihil ultra. quam ut publice notae sint facultates nostrae. exquiratur. nimis magno experimento cognoscimus.

Exstat ap. Gruter. p. DII.

AD HIST. LIB. IV, c. 3.

SENATUSCONSULTUM
DE
VESPASIANI IMPERIO

INSIGNE est monumentum *de Imperio Vespasiani*, repertum in aenea tabula, exstatque Romae in Basilica Lateranensi, editum ap. Gruter. p. CCXLII, nuper denuo collatum cum edito exemplo a Broterio, quod T. III, pag. Not. 345, post alios huc subiicere recepimus:

foedusve cum quibus volet facere liceat uti licuit divo aug. ti. iulio caesari aug. tiberioque claudio caesari aug. germanico.

utique ei senatum habere. relationem facere. remittere. senatus consulta per relationem discessionemque facere liceat. uti licuit divo aug. ti. iulio caesari aug. ti. claudio caesari aug. germanico.

utique cum ex voluntate auctoritateve iussu mandatuve eius praesenteve eo senatus habebitur. omnium rerum ius perinde habeatur servetur ac si lege senatus edictus esset habereturque.

utique quos magistratum potestatem imperium curationemve cuius rei petentes senatui populoque romano commendaverit quibusve suffragationem suam dederit promiserit. eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur.

utique ei fines pomerI proferre promovere, cum ex republica censebit esse, liceat, ita uti licuit ti. claudio caesari aug. germanico: utique quaecumque ex usu reipublicae maiestate divinarum humanarum publicarum privatarumque rerum esse censebit, ei agere ius potestasque sit, ita uti divo aug. tiberioque claudio caesari aug. germanico fuit.

utique quibus legibus plebeive scitis scriptum fuit, ne divus aug. tiberiusve iul. caesar aug. tiberiusve claudius caesar aug. germanicus tenerentur, iis legibus plebisque scitis imp. caesar vespasianus solutus sit: quaeque ex quaque lege rogatione divum aug. tiberiumve iulium caesarem aug. tiberiumve claudium caesarem aug. germanicum facere oportuit, ea omnia imp. caesari vespasiano aug. facere liceat.

utique quae ante hanc legem rogatam acta gesta decreta imperata ab imperatore caesare vespasiano aug. iussu mandatuve eius a quoque sunt, ea perinde iusta rataque sint ac si populi plebisve iussu acta essent.

SANCTIO.

si quis huiusce legis ergo adversus leges rogationes plebisve scita senatusve consulta fecit fecerit, sive, quod eum ex lege rogatione plebisve scito s. ve c. facere oportebit, non fecerit huius legis ergo, id ei ne fraudi esto, neve quid ob eam rem populo dare debeto, neve cui ea de re actio neve iudicatio esto, neve quis ea de re apud se agi sinito.

ANNOTATIONES

ANNOTATIONES

IN GERMANIAM.

Pag. 4. *c.* 1. *l.* 1. *Germania omnis a Gallis*) Lipsius a vetere veraque lectione in quinta sua recensione ed. 1589 discedens dedit *Galliis;* quod omnes secuti praeter Ernest.

Pag. 5. *l.* 6. *Adversus Oceanus*) scil. navigantibus.

ibid. l. 13. *Tuisconem*) MSS. plerique & edd. priscae & vulg. *Tuistonem;* quod & nos antea dederamus. Iam rectius videtur *Tuisco*, quod Conringius voluit, & Ern. in Codd. duobus invenit ediditque. Videtur autem nobis nomen hoc compositum ex *tho* s. *thon*, Gr. χθὼν, *terra*, & *isc*, quod Francis & Alamannis notabat *editus*, progenies. Ita Tacitus recte vertit *terra editus*. Alii fecerant *Tuito*. Wachterus voluit *Tutisco*.

ibid. l. 17. *Hermiones*) Sic Codd. Vatic. aliique, Puteol. cett. quomodo & in Plinii libris scribitur. Alii *Herminones*.

ibid. l. 18. *Deo ortos*) Malim: *de eo* (sc. *Manno*) *ortos*.

ibid. l. 22. *Nuper additum*) Refer *nuper* ad illorum aetatem, a quibus haec accepta etiam Noster tradit; uti bene Pichena monuit. Cf. Caes. B. G. II, 4. extr. Lipsius maluit *auditum*, quod & alii dedere.

ibid. l. 23. *Tunc Germani*) Alii olim male *nunc*.

ibid. l. 24. *In nomen gentis*) Vulg. corrupte *non gentis*. Nos amplectimur emendationem Acidalii, re suadente, & verbo *evalescere* aptam.

ibid. l. 25. *A victore*) h. e. Romanis, qui tandem victores exstiterunt.

ibid. l. 26. *Germani vocarentur*) Vocem *Germani* abfuisse a Cod. Bamberg. testatur Lips.

ibid. l. 27. *Fuisse apud eos & Herculem* &c.) Lipsius sic distinguit: *Fuisse a. e. & H. memorant. pr. vir. fortium. Ituri in pr. canunt.* Sed Pichen. restituit veterem distinctionem, quam probant Cluver. Conring. omnesque sequuntur.

ibid. l. 30. *Barritum*) Sic multi ſcripti. Puteol. dedit *baritum*. Amm. Marc. XXVI, 7, & XVI, 12; Veget. III, 18, *barritum* ſcribunt. Idque cum aliis probamus magis, quam quod legitur *barditum* in Cod. Farneſ. Arund. Kapp.

Pag. 6. *l.* 2. *Nec tam vocis ille, quam virtutis concentus videatur*) Sic Rhen. edidit. Sed Pich. ex Puteol. & libro Bonon. edidit *nec tam voces illae, quam virtutis conc. videntur*; quod hodie vulgatum eſt. Codex Bamberg. habuit, teſte Lipſio, *nec tam vocis, quam mentis c. v.* quod ille poſtponit vulgatae a Rhenano, Colerus vero probat.

ibid. l. 8. *Aſciburgiumque*) Conf. Noſtrum Hiſt. IV, 33, ibique not.

ibid. l. 10. *Nominatumque* . . . . . .) Poſt verbum hoc in MSS. vel vox aliqua Graeca legitur, & in edd. principe, Puteol. & Beroald. lacuna eſt, ſignum vocis Graecae, haud facile exprimendae. Libri quidam habent Ἀκριvίπριον, pro quo Rhenanus coniecit Ἀστυπύργιον, inde editores lapſi ad Ἀσκιπύργιον· quod male repetitum, ut gloſſema, recte delevit Lipſius, ſed Broterius, magnus ille quibuſdam imperitis Criticus, reſtituit. MS. Arundel. habet ἀστυτεάγιον· unde aliud coniiciendi locus foret. Sed malumus vacuum relinquere, quam infarcire, quod aliis non probetur.

ibid. l. 15. *Confirmare argumentis*) Gronovius ad Liv. XXII, 13, ex MS. Pirckheim. mavult *affirmare*. Sic vero Livius I, 1, brevius dixit: *ea nec affirm. nec ref. in animo eſt.*

ibid. l. 19. *Propriam*) h. e. cui nihil alieni intermixtum eſt, ſ. *perpetuam*; (quod & Cod. Bamberg. habet) cf. Ter. Andr. V, 4, 5. MS. Arundel. *propterea*, quod non ſpernimus.

ibid. l. 23. *Rutilae comae*) Sic ex rutila barba Domitiorum nobiliſſimam ſimplicitatem laudat Vellei. II, 10, pag. 140 ſq. ed. Bip. ibique not.

ibid. l. 27. *Etſi aliquanto ſpecie differt*) Sic a Puteol. vulgata habet. Sed Cod. Bamberg. teſte Lipſio *aliquando ſpecie aret*. Lipſ. coniecit *variet*. Nobis videtur *aret*, ſ. areſit ſcil. calore ſolis; ita tamen ut non altius penetret in terram, eamque excoquat; ſed ſpecies ſoli tantum areſiat.

ibid. l. 30. *Ventoſior*) h. e. ut Colerus exponit, ſiccior & magis aërea, quod regio montuoſa ſit. Lipſius pro eo cupiebat *verticoſior*, quod probatur Cluverio, ſed nihili eſt.

ibid. l. 31. *Satis ferax*) ſ. ſegetibus, uti Virg. Aen. XII, 454, & paſſim. Sall. Iug. 17 de Africa: *Ager frugum ferti-*

lis — arbori infoecundus. Noſter Hiſt. V, 7, *manu ſata* diſtinguit a *ſponte editis.* Cluv. mavult *ſati.*

Pag. 7. *l.* 1. *Plerumque improcera*) Lipſ. & Cluver. ſcribunt *pleraque.*

ibid. l. 7. *Poſſeſſione & uſu haud perinde afficiuntur*) Iuſtinus de Scythis II, c. 2: *Aurum & argentum perinde aſpernantur ac reliqui mortales appetunt.*

ibid. l. 10. *Non in alia vilitate*) h. e. pari vil.

ibid. l. 28. *Pluraque ſinguli*) Erneſt. omiſſa copula dedit *plura* ex MS. Turic. & edd. ante Rhen.

Pag. 8. *l.* 10. *Centeni ex ſingulis pagis ſunt* &c.) Cf. c. 12 extr.

ibid. l. 24. *Ne verberare quidem*) Sic Gronovio monente & ex MS. Arund. reſcripſit Erneſt. pro *neque v. q.*

Pag. 9. *l.* 1. *Et in proximo pignora*) Coniuges, liberi, parentes; cf. Quinctil. VI, 1, 24.

ibid. l. 5. *Exſugere plagas pavent*) Ita ſ. potius *exſurgere.* Rhen. dedit pro *exigere*, quod MSS. habent. Fruſtra vero Lipſ. hoc defendit, cui profecto non convenit verbum *pavent.* Quid enim ſibi vult? *non pavent expoſtulare cum viris, ſi illaeſi rediiſſent, tanquam ignavi & vitae ſuae parci.* Id certe amentium eſſet; ſed exſugere eſt amantium & fortium. Itaque noſtrum pridem approbarunt Colerus, vir recti iudicii, & magnus Conringius: fruſtraque illud *exigere* reſcripſit Erneſt.

ibid. l. 17. *Veledam*) Alii olim male *Velledam.* Supra Hiſt. IV, 61, ex MS. Flor. ſimplex *l* verum eſſe docuimus; & ſic quoque Dio fragm. 49 Βελήδαν. Statius Silv. I, 4, 90, *captivaeque preces Veledae.* Cf. de ea Noſtrum quoque Hiſt. IV, 67, & 22, 24. De Paw in Recherches ſur les Americains, Tom. II, Partie VI, lettre II ſur le grand Lama p. 335 not. coniicit *Veledam* factum eſſe nomen ex *Weld*, quod in veteri lingua Theotiſca notet virginem. Idem comparat morem conſulendi Veledam, ceteraſque mulieres cum cultu Dalaïlama, qui in arce Putola numinis loco habeatur.

ibid. l. 18. *Auriniam*) MS. Farneſ. *Fluriniam;* hinc Lipſius putat ſcriptum fuiſſe *Alioriniam;* cum & Iornandes de R. Get. cap. 24 magas mulieres patrio ſermone dictas fuiſſe *Aliorumnas* (ſ. potius *Aliorunas*) teſtetur. Nos facile iis accedimus, qui *Al-runas* exponunt omniſcias ſ. fatidicas mulieres. *Runa* certe myſterium notat; cf. Schilt. in Gloſſ. hac voce. Sed Conringius non ſollicitandam cenſet vocem *Auriniam.*

I 4

ibid. l. 26. *In modum liburnae figuratum*) Lactantius I, 11: *Certus dies habetur in Fastis, quo* Isidis navigium *celebratur.*

ibid. l. 30. *Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident*) Satis pulchre convenit religio Germanorum cum illa Iudaeorum, & *secretum* illud cum Sanctuario in tabernaculo & templo. Ergo & male affingitur Germanis cultus Mercurii & Martis. Probabilius coluisse videntur Solem & Lunam; conf. Caes. de B. G. VI, 21. Cantabant quoque heroas suos; sed quid illis cum Hercule? Quae Tacitus igitur h. l. scripserat, ad Romanam superstitionem accommodata sunt.

Pag. 10. *l.* 3. *Virgam, frugiferae arbori decisam* &c.) Frugifera arbor h. l. est fagus, glandifera arbor, & his glandibus olim vesci solebant. Aliarum enim arborum frugiferarum impatientem Noster supra cap. 5 dixit Germanicam terram. Ex his igitur decisos surculos s. bacillos (*Staebe*) coniiciebant, qui sponte caderent ad sortem. Eosdem vero notis inscriptos in quendam sensum ordinasse videntur iidem Germani, ad modum Runarum, (unde vox Germ. *literas* denotans *Buchstaben* orta videtur.) Sed Tacitus, qui usum surculorum fagineorum in sortibus solemnem noverat, eorundem usum in scriptura ignorasse videtur. Literae Runicae ortum habent & dictae a *Roenne, sorbo* aucuparia, quae in Scandinavia frequens est. Hinc Rudbeckius inquit: *Literas Runicas saxis aereque inscripserunt & fago usi sunt vel sorbo aucuparia:* Roenne *vel* Runeboors Troeo (arbor ferens runas) *nomen suum a Runis ipsis obtinens, magni semper aestimata est; propterea quod prae aliis lignorum speciebus eam habet indolem, ut cum literae in cortice eius exarantur, arbor confestim succum ad cuiusvis literae ductum protrudat, qui deinceps lapidis instar indurescit.* Sed antequam Scandinavii ad inscriptiones devenirent, usi sunt surculis, quos in certum ordinem ac sensum digererent.

ibid. l. 14. *Equorum quoque praesagia ac monitus*) Sic equorum, qui Soli Deo credebantur sacrati, auspicio usos esse Persas, notum est ex historia Darii regis post occisos Magos.

ibid. l. 17. *Quos pressos sacro curru*) Adstrictos, quod insuetis ingratum.

ibid. l. 31. *Apud principes pertractentur*) Mur. & Grotius cett. malunt *praetractentur*, h. e. ante tractentur; quem morem multis post seculis Francos observasse notum. Unde ista emendatio arridet Conringio, sed a nemine recepta.

Sed verbum illud antiquis inusitatum; & facile ferimus vulgatum. Quamvis enim penes plebem arbitrium sit, consilium tamen est penes principes viros; eoque hi res, a populo confirmandas *pertractare*, diligentius reputare debebant.

Pag. 11. *l.* 7. *Nec ut iussi*) h. e. nec certo tempore, quod iussum est. Vulg. vero est *nec iussi.* Sed MSS. habent l. *nec iniussi* l. *nec ut iussu.* Ex priori iam nostrum suasit Lipsius, quod Conr. probavit, & cum Ernest. recipimus.

ibid. l. 9. *Ut turbae placuit*) Inutiliter I. F. Gron. tentat *ut turba placuit*, scil. sua ipsis; idque recepit Lallemant, & probat Ernest. Nobis haec *turba* non placet.

ibid. l. 16. *Sin placuit, frameas concutiunt*) Conf. Hist. V, 17 extr. *Ubi sono armorum tripudiisque, (ita illis mos) approbata sunt dicta.*

ibid. l. 21. *Corpore infames*) Conringius bene annotat: *Lipsius in notis posterioribus censet scribendum* torpore infames, *ut purget maiorum innoxiam famam. At Cluverius quoque & Pichena probant illud vulgatum, nec videtur mutandum, cum torpor non soleat infamiam parere.* Addimus quod mox Noster *flagitium* innuat.

ibid. l. 30. *Qui iura per pagos vicosque reddant*) Vulg. *reddunt;* quod mendo librariorum obrepsit, monente Ernest. Nostrum poscit latinitas.

ead. Centeni singulis ex plebe comites) I. Fr. Brummerus & Kirchmaierus pro *centeni* contendunt legendum esse *certi.* Nec refragatur Conringius, existimans, etiam legi posse *Septeni.* Mihi *Centeni* corrupte dicti videntur a Germ. *Sent*, synodus, ut sint assessores synodales, Scabini, Sendschoepfen, defensores populi.

Pag. 12. *l.* 3. *Quam civitas suffecturum probaverit*) scil. armis gerendis.

ibid. l. 10. *Principis dignationem etiam adolescentulis assignant*) Non ita ut ipsi essent principes, quippe inexperti bello, sed ut cum principibus agerent, eosque sequerentur ad munia principis bellica s. ducis instruendi; hinc & mox restituimus priscam lectionem *ceteris*, quam Lipsius immutavit in *ceteri*, contra libros scriptos omnes. Etsi Lipsio assentiantur Freinshem. Conring. Gebauerus de Comitatu princ. Germ. Ernest. & Broterius, atque hi duo id receperint; haud tamen illorum rationes ita comparatae sunt, ut eos imitari cupiamus. Sed & vetus liber apud Lips. habet *aggregant*, quod Lipsio, Colero aliis placet.

ibid. l. 30. *Praecipuum ſacramentum*) Edd. omnes ante Rhen. & MS. Lipſio viſum *principum ſacr.* Sed Rhenanum ſequuntur omnes; & Cod. Kapp. teſte Erneſt. agnoſcit *praecipuum.* Sacramentum principum bene monente Erneſt. foret id, quo comites principi obſtringerentur.

Pag. 13. *l.* 5. *Et facilius inter ancipitia clareſcant* &c.) Puteol. ac Beroald. dederant *& uti f. i. a. clareſcant*, *magnumque — tueare.* Sed Rhen. ex Cod. Artolphi repoſuit, *ut* particula deleta, *& f. i. a. clareſcunt*, *magnumque c. n. n. v. b. tueantur.* Sed Lipſius invenit in libro ſcripto *tueare*, (idemque eſt in MS. Arundel) unde Pich. reſcripſit *tueare*, cetera Rhenani retinens. Nos cum ed. principe & Poggii legimus *& facilius i. a. clareſcant;* neque tamen audemus, quamvis velimus, pro *tueare* reſcribere illud Rhenani *tueantur.* Repugnant enim MSS. vett. & edd. priſcae omnes ante Rhen. Alii quidem tentant, alii vero elegantiam quaerunt in *tueare* pro *tueantur;* quod an verum ſit in re non ad univerſos pertinente, neſcimus.

ibid. l. 9. *Et convictus quamquam incomti*) Sic ante Rhen. edd. omnes. Is vero expunxit *convictus*, auctoritate Codicis ſui. Pichena tamen admittit, ita ut *largi apparatus* ſit genitivus ſing. *Epulae* certe & *convictus* differunt.

ibid. l. 12. *Exſpectare annum*) h. e. anni proventum, tempus meſſis.

ibid. l. 16. *Multum venatibus*) Vulg. *non multum.* Sed eiiciendam cenſuit Lipſius & eiecit Cluverius negationem *non*, quae repugnat moribus Germ. & ſqq. *plus per otium tr.* Scil. iudice Conringio *multum* & *plus* recte ſibi opponuntur, non ita vero *non multum* & *plus.* Tum Caeſar, Lipſio laudatus, de Germanis inquit B. G. VI, 21: *vita omnis in venationibus atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit.* De Suevis IV, 10: *multumque ſunt in venationibus.* Itaque indubitanter eiicimus. Sed dubitant Pich. in notis prioribus, & Colerus, *tranſigere* hoc ſenſu ἁπλῶς dici, niſi addas, *vitam* l. *aevum* l. *aetatem* &c. aliiſque modis tentant locum. Quidni vero ex *aevum* credas ortum eſſe *non?* Sil. Ital. III, 390: *Aevum venatibus tranſigit.*

ibid. l. 21. *Ipſi hebent; mira diverſitate naturae*) Ita primus Lipſius ex MS. Farneſ. quomodo & Rhen. invenerat. Antea male editum: *ipſi habent miram diverſitatem nat.*

ibid. l. 24. *Auctarium*) Verba *ac viritim*, quae inde a Puteol. vulgata, ſuſpecta omnino ſunt, certe redundant

ex verbo *conferre*. Latet vero in iis nomen, a quo pendeant genitivi *armentorum l. frugum*, & quo refertur mox, *quod — acceptum* &c. Rhen. in Cod. Artolphi legit *acuirium* l. *ecuirium;* indeque coniiciebat *equitium*, quod nemo probavit. Lipſius poſt verba *ac viritim* excidiſſe putans *X*, h. e. *decimam*, quaſi iam tum fuerit mos, principibus decimas conferre, Conringium non habet ſibi aſſurgentem. Cluverius verbis illis intactis addens voculam *aliquid arm. l. fr.* parum nobis ſatisfacit. I. Fr. Gron. aeque nihil ſollicitans, vult caſus ſecundos regi a ſeq. vocula *quod*. Quis credat? At Cod. Artolphi, quem tractavit Erneſtius, nominatque Cod. Kappii, non habet *acuirium*, ſed *aciurium*. Iam ſi cogites, quam ſaepiſſime *auctor* & *actor* in MSS. confundantur; facile ex ductibus vocis colligimus, *auctarium* legendum eſſe, quod in cumulum redituum ſuorum principibus adiectum ſit. Bona certe vox (cf. Plaut. Merc. II, 422) & veſtigiis MSS. & ipſi rei apta. Codex Artolphi verba illa *ac viritim* tantum margini adſcripta habet, unde illata videntur.

Pag. 14. *l.* 15. *Eiuſmodi locis*) Acid. mavult *loci.*

ibid. l. 19. *Spina conſertum*) Cf. Virg. Aen. III, 594; unde Erneſt. probat, fruſtra Lipſium malle *pinna*.

ibid. l. 24. *Proximi ripae*) Int. Romanae, Rheno Danubioque; quorum accolae cultu a Romanis accepto, veſtibus aliis uſi, pellibus negligenter ſe tegebant.

ead. Ulteriores) Interiores & Septemtrionales. Ita Iuſtinus de Scythis II, 2: *Lanae iis uſus ac veſtium ignotus — pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur.*

ibid. l. 26. *Eligunt feras*) Ut urſos, lupos, vulpes &c.

ead. Spargunt maculis pellibuſque) Lipſius male dubitat de *maculis*. Sed & illis artem fuiſſe credas, pelles variegandi. Cave igitur putes locum tranſpoſitione corruptum, vexeſque cum Mureto, Acid. Cluverio, aliiſque, qui voluere *proximi ripae exquiſitius; ulteriores negligenter* &c. Conf. not. ſeq. Rectius ſenſere Bernegg. & Kirchmaierus lectionem noſtram defendentes.

Pag. 15. *l.* 8. *Uxor marito*) Vox *marito* abeſt a Codd. Bamb. & Arundell.

ibid. l. 22. *Hoc data arma denuntiant*) Cod. Art. ſ. Kappii *renuntiant.*

ead. Sic vivendum, ſic pereundum &c.) Rhen. diverſam affert lectionem, *ſic viventes, ſic parientes acc. ſe;* eamque ſic

probat ut mox legat *reddant.* Nos probamus magis, si legatur — *patientes;* nisi oratio flecteret a singulari *mulier* ad plur. Colero certum est, Tacitum scripsisse *si vivendum, si pereundum, acc. se* &c. Sed vulgata rectior videtur.

ibid. l. 23. *Quae liberis inviolata ac digna reddat*) Vox *digna* Lipsio & Conringio suspecta, immo l. expungenda l. in aliam mutanda videtur. Et Heinsius probantibus Boxhornio & Conringio locum sic ordinat: *quae lib. inviolata reddat, digna, quae nurus acc.* &c. Gronovianas argutias omittimus. Censemus vero ipsi, verba *inviolata ac digna* casus esse primos, neque sic ad *munera* referri, sed exponendum, *quae* (munera) *liberis* ipsa mater, sancta & honesta, si superfuerit, reddat. *Dignus* saepe & absolute dicitur & h. l. *honestam* notat.

ibid. l. 25. *Septae pudicitia*) Sic ex MS. Arundel. recipimus; & congruens oratio cum illa Livii III, 44, *omnia pudore septa.* Vulgo autem est *septa pudicitia.* Sed *pudore septi sumus*, non *pudor septus* est.

ibid. l. 27. *Literarum secreta*) f. literas secretas, furtivas f. amatorias, quales apud Romanos viris feminisque scribi solitae.

ibid. l. 30. *Parentibus & maritis permissa*) Vulgo male *praesens, & mar. perm.* Sed nostrum teste Lipsio habet Cod. Bamberg. quod certe rectae rationi consentaneum magis dicit Conringius. Iniquum scil. fuerit, maritos solos cognoscere de crimine. Et Noster addit statim, poenam a marito coram propinquis (scil. post latam sententiam) exercitam esse. Itemque mos erat Romanis, ut de crimine violatae pudicitiae cognati cum marito cognoscerent.

Pag. 16. *l.* 2. *Publicatae enim*) Lege *publicatae enim etiam*, ut cap. 21. Sic aptior fit transitio.

ibid. l. 5. *Seculum vocatur*) h. e. *seculi mos.*

ead. Melius quidem adhuc eae civitates) Ut Heruli, apud quos & uxores marito mortuo iuxta sepulcrum laqueo se induerunt.

ibid. l. 12. *Ex agnatis*) Eadem voce utitur Noster de Iudaeis Hist. V, 5, pro qua Lipsius mallet *gnatis.* Sed *agnasci* dicebantur proprie ii, qui post familiam constitutam, ubi iam heres erat, f. supra numerum, nascebantur; Graece ἐπίγονοι.

ibid. l. 13. *Plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae*

leges) Iustinus II, cap. 2 de Scythis: *Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus.*

ibid. l. 23. *Pares validaeque*) Sic liber Bononiae editus 1472, Puteol. Rhen. & Lipsianae primae. Sed in sqq. Lipsius tacite dedit *validique*, quod Pich. ac sqq. probant. Ernestius priscum restituit, quem sequimur, ita ut sit: virgines *pares* aetate maritis *validaeque miscentur* illis. Sic Virg. Aen. VII, 661, *mixta Deo mulier.*

ibid. l. 29. *Tanquam ii & animum firmius, & domum latius teneant*) Ut patri & avunculo cari.

Pag. 17. *l.* 14. *Cum defecerit*) A Puteol. vulgatum *defecere*. Nostrum ex Cod. Farnes. dedit Lipsius; & nescio cur illud reposuerit Pichen. quem sequuntur omnes & exponunt, *cum defecere* scil. epulae. Melius sit *defecerit* scil. hospes, h. e. cum nihil ei amplius ad epulas suppetierit —.

ibid. l. 18. *Si quid poposcerit*) Bene hanc lectionem restituit Ernest. quae in altera Rhenani deflexerat in *poposceris*, inde vulgata.

ibid. l. 21. *Victus inter hospites comis*) Interpretem Gallum de la Bletterie verba *victus i. h. comis*, ut spuria omisisse notat Ernest. & ipse ea saltem de loco suspecta habet. Videntur ex margine huius capitis irrepsisse.

Pag. 18. *l.* 6. *Aperit ad hoc secreta*) Sic Cod. Artolphi & Arundell. Vulgo *adhuc*, idem notans, scil. ut Grut. ait, *amplius*, *praeterea*, *insuper*.

ead. Licentia loci) Ante Lipsium legebatur *ioci*. Is vero emendans in *loci*, in ed. I inquit: *Id verius est, quam ut libri*, ioci. *In conviviis enim sermonis libertas.* Neque igitur vitio operarum aut aliunde mutata est lectio, ut Ernest. putat; & nemo illud *ioci* revocandum duxit praeter Ernest. Utrumvis sumas, intelligitur convivii licentia.

ibid. l. 8. *Retractatur*) h. e. denuo ac diligentius tractatur.

ead. Et salva utriusque temporis ratio) Lipsius maluit pro *salva* scribere *sua*, & hoc placet Cluverio, Conringio, Kirchmaiero cet. Sed Conringius concedit tamen, salvum etiam esse sensum in *salva;* quod praetulit Pichena. *Salva* scil. h. l. est *integra*, apta, dum deliberant inter convivandum, postridie sobrii deliberata retractant & constituunt.

ibid. l. 11. *In quandam similitudinem vini corruptus*) f. fermentatus. Orosius V, 7, in descriptione celiae s. cerevisiae,—*succo — quo fermentato sapor austeritatis, & calor ebrietatis adiicitur.*

ibid. l. 14. *Lac concretum*) h. e. caseus.

ibid. l. 18. *Vitiis, quam armis*) Bamberg. Codex *vino* pro *vitiis;* quod Conringius propoſito convenientius iudicat. Sed I. F. Gron. a mala Scholiaſtae manu eſſe dicit. Et conf. Caeſ. B. G. IV, 2 extr.

ibid. l. 22. *Exercitatio artem parat*) Sic edd. priſcae melius, quam quod Rhen. dedit ex Cod. Art. *paravit.*

ibid. l. 26. *Cum omnia defecerint*) Vulg. *defecerunt.* Noſtrum eſſe in MS. Turic. teſtatur Erneſt. ipſeque melius h. l. iudicat; cf. ſupra not. ad c. 21.

ibid. l. 29. *Iuvenior*) Ita Cod. Artolphi ſ. Kappii; nec ſolum Columella IX, 11, & Apuleius hoc comparativo utuntur, ſed & Plin. Ep. IV, 8, 5, quod Cortius MSS. firmavit.

Pag. 19. *l.* 11. *Niſi quod impune eſt*) Rhen. & ſqq. omiſere *eſt*, quod habet MS. Turic. deditque Puteol.

ibid. l. 16. *Impares libertini*) ſcil. ingenuis.

ibid. l. 18. *Ideoque magis ſervatur*) Int. *id quod non agitent ſenus* &c. Negatio enim ex *ignotum* accedit ad rem. Ellipſis ſueta optimis auct. Neque igitur opus eſt cum Lipſio mutare in *ſpernitur*, aut cum Salmaſio, *averſantur.* Quae enim ſpernimus vel averſamur, ea non ignota ſunt.

ibid. l. 20. *In vices occupantur*) Ex Cod. Kappii ſ. Artolphi lectionem recipimus *in vices*, h. e. ut a bello redeuntes in locum ad idem exeuntium ſuccedant domique maneant, pro ſe & pro illis agros culturi; cf. Caeſaris B G. IV, 1 de Suevis, & L. VI, 22 de Germanis (unde & *manentes*, Gallis *manants*, dicuntur coloni ſ. ruſticani homines). A noſtra lectione minus abit lectio Cod. Bamberg. *ab univerſis vicis;* longius vero vulgata a Puteol. *per vices.* Pichena, Conring. Grotius maluere *per vicos*; quod parum placet. Neſcimus vero, quid Erneſt. ſibi velit, ex ed. Spirenſi recipiens *ab univ. vices* ſine praep.

ibid. l. 25. *Prata ſeparent*) Sic edd. ante Rhenanum, qui primus dedit ex annotatiunculis ſuis *ſepiant.* Pichena reſtituit veterem lectionem, quae hodie vulg. eſt. Colerus vero tranſmota verba credens ea ſic ordinat: *prata rigent, hortos ſepiant;* nec id male.

Pag. 20. *l.* 14. *Divus Iulius tradit*) B. G. VI, 24.

ibid. l. 19. *Potentia diverſas*) Sic Cod. Bamberg. & edd. omnes ante Rhen. qui primus ex Cod. Artolphi reſcripſit *diviſas.* Illud, quod noſtrum facimus, probum eſſe certus eſt Lipſius; hoc planius putat Conring. Ita diverſa ſententiis ſunt ingenia. *Diverſas* notat *disiunctas.*

ead. Hercyniam silvam) De qua cf. Caes. VI, 24 & 25 sq.

ibid. l. 20. *Moenum*) Edd. primae habent *Moeni;* Rhen. dedit in ed. II *Moenim*, uti Mela habet III, 1. Sed Lipsius ex Cod. Farnes. rescripsit in ed. sua I *Moenum*, quod & firmat Cod. Kappii.

ibid. l. 21. *Ulteriora*) *Incinctos Hercyniae silvae campos* dicit Vellei. II, 108.

ibid. l. 22. *Manet adhuc Boihemi nomen*) Omnes quidem editi *Boiemi;* sed Cod. Artolphi s. Kappii nostrum refert, propius ab illo ap. Velleium II, 109: *Boiohemum* (*id regioni, quam Maroboduus incolebat, nomen est.*) Diversum vero ab eo videtur nomen ipsius regiae Marobodui, quod apud Strabonem l. VII, legitur Βουΐασμον, *Buviasmum.* Sed totus hic locus nobis esse videtur fractus. Codex Bamb. *Manet adhuc Boïis e munere nomen;* unde Lipsius scribit *Manet adhuc Boiiasmi* (l. *Boyaimi*) *e re nomen.* Et mox idem Codex *veterem viae memoriam;* unde Colerus fecit *loci & veterem viciniae memoriam.* Parum quidem hoc successisse videtur; neque nobis otium coniicere.

ibid. l. 24. *Aravisci*) Plin. III, 25, dicuntur *Eravisci;* sed Ptolemaeo II, 16 Ἀράβισκοι sunt in Pannonia inferiore.

ead. Ab Osis) *Osi* tribus exstitere Boioariorum; & ab iis pagus nomen traxit pagus Hosiorum, Housi s. Ousgow.

ibid. l. 29. *Treveri & Nervii circa affectationem Germanicae originis* &c.) Cf. quae de seq. notavimus ad Hist. IV, 37.

Pag. 21. *l.* 4. *Ne Ubii quidem — erubescunt*) Vulg. *Ubii quidem — erubescunt;* hinc Lipsius particulam *non* inserendam ante verbum censuit. Sed cum ed. princ. haberet *Nubii*, pulchrius inde invenit Gruterus lectionem, quam sequimur cum Ernestio, consensum MS. Turic. Cod. Kapp. & ed. Pogg. testante.

ibid. l. 5. *Agrippinenses, conditoris sui nomine*) Conf. XII, 27, & Hist. IV, 28, ibique not.

ibid. l. 9. *Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi* &c.) Cf. de Batavis, quae similia dixit Noster Hist. IV, 12.

ibid. l. 19. *Mattiacorum gens*) Transrhenana ad Loganum, quae in Ubiorum agros relictos successisse videtur.

ibid. l. 28. *Decumates agros*) Helvetiorum olim sedes, in quas successere ex Ariovisti copiis Marcomanni: inde cum in Boiohemum migrassent, agros vacuos insedere ex Gallis, h. e. Rauracis, Sequanis, maximeque Mediomatricis Alsatiensibus, & *Marcomanniae* nomen in *agros Decumates*

immutatum, quod ex illis decimae, per Decumanos, publicanorum principes, a possessoribus exigebantur. Sec. IV cessere in Alemannorum nomen.

ibid. l. 30. *Mox limite acto*) Trans Rhenum ad Moenum. Traianus suo nomine appellari voluit *munimentum Traiani.* Cf. Amm. Marc. XVII, 1. Vett. edd. habent *acto*, usque ad Pich. qui primus a manu Lipsii recepit *aucto*.

ibid. l. 31. *Sinus imperii*) h. l. recessus extremus, extremitas.

Pag. 22. *l.* 13. *Nec nisi ratione disciplinae*) Cod. Bamb. MS. Arundel. pro *ratione* legunt *Romanae*. Neutram lectionem spernendam putat Lipsius. Immo Colerus, Conring. Gronov. & Ernestius illam Cod. Bamberg. veriorem putant; nemo tamen recepit. Nos ambigimus.

ibid. l. 16. *Copiis onerant*) h. e. cibariis. Alii dein *coonerant*. Nostrum est a Lipsio & in Cod. Kapp.

ibid. l. 24. *Crinem barbamque submittere* &c.) Non is solum barbaris mos fuit, sed & in luctu ipsis Romanis. Exemplo est ipse Caesar, de quo Sueton. c. 67: *Diligebat quoque usque adeo* (scil. milites) *ut, audita clade Titüriana, barbam capillumque submiserit; nec ante demserit, quam vindicasset.* Conf. not. seq.

ibid. l. 27. *Revelant frontem*) Crinem deponunt, quod Noster de Civili dixit Hist. IV, 61, seu decurtant crinem in fronte sparsum, barbamque promissam; ita ut mystaces retinuerint.

Pag. 23. *l.* 2. *Iamque canent insignes*) Lectio haec vulgata, quam omnes scripti & editi agnoscunt, laborare visa editoribus; neque tamen in melius a quoquam recta. Lipsius in notis primis inquit, *depravationem video, medicinam acutioribus delego;* in posterioribus praeterit locum silentio. Heinsius quidem in Epist. ad Graevium T. IV coll. Burm. p. 164, tentabat: *Iamque cani, ut insignes, & hostibus s. s. monstrari.* Probat Graev. l. c. p. 170; Ernestius vero spernit, qui ipse velit: *itaque* (h. e. hoc squalore, hoc oris habitu) *canent insignes h. s. s. monstrati.* Sed nobis *insignes* videntur maxime dici ob id quod anulum ferreum votivum sumserant. In mentem nobis venit: *iamque calent insignes — monstrari*, q. d. iamque h. e. quamprimum insignes se fecere, calent cupidine laudis. Ac Statius Theb. IV, 261, verbum *calens* coniungit infinitivo: *Arma, tubas audire calens* &c. Sed nihil audeamus, ac feramus vulgatam, sic ut *iam*

fere canentes f. *fenefcentes* tali voto obligatos manfiffe credamus, *donec*, quod Nofter mox fubdit, *exfanguis feneƈtus tam durae virtuti impares faceret.*

ibid. l. 5. *Vifu torva*) Ita Bernegg. verius coniecit pro *vifu nova*, quod vulgo legitur, quam Freinsh. qui maluit *nota* Sic & ap. Curt. III, 2, 13, *Macedonum acies torva* dicitur. Conringius tamen tuetur *nova*, ut idem fit ac *mira*. Sed *torvo* vultui mox *mitior* melius refpondet.

ibid. l. 6. *Nulli domus*) Int. iftorum, quos votivo habitu perpetuo *infignes* dixerat.

ibid. l. 11. *Ufipii*) *Ufipetes* appellantur Noftro Ann. I, 56 (& Caefari IV, 16). Sed Ann. XIII, 56, eofdem dixit *Ufipios*.

ibid. l. 22. *Pulfis Bruƈteris ac penitus excifis*) Manfit tamen nomen in pago *Boroƈtra* ad Rheni ripam dextram in Com. Marcano.

ibid. l. 25. *Nam ne fpeƈtaculo quidem proelii invidere*) Int. Dii.

ibid. l. 28. *Maneat, quaefo — quam hoftium difcordiam*) Votum hoc non pro humanitate, fed in fecuritatem Romanorum direƈtum, in vaticinium fatorum Rom. abiit.

Pag. 24. *l.* 2. *Dulgibini*) Ptolemaeo II, 11, *Dulgumnii* dicuntur.

ead. Chafuari) Velleio II, 105, *Attuarii*; & Amm. Marc. XX, 10, *Attuarii Franci*. Strabo autem & Ptolem. *Chattuarios* vocant. *Chafuari* videntur habitaffe ad *Hafae* fl. confluentem cum Amifia ad opp. Meppen.

ibid. l. 11. *Referre confuevimus*) Plerique libri *confenfimus*; fed Pich. & Bernegg. recepere noftrum, quod Lipfius in MS. invenerat.

ibid. l. 12. *Drufo Germanico*) Freinsh. vult *Drufo & Germanico*; fed bene Conringius dubitans, num Germanicus pariter conatus fit quidquam, columnarum Herculis quaerendarum caufa, monet, de aliis expeditionibus h. l. non effe fermonem. Sic enim & Tiberii expeditio, de qua Vellei. II, c. 106, memorari potuit.

ibid. l. 25. *Sine impotentia*) h. l. violentia.

Pag. 25. *l.* 4. *Quia inter impotentes*) feu violentos.

ibid. l. 6. *Nomina fuperioris*) f. viƈtoris. Qui bello praeftant, vulgo meliores dicuntur.

ibid. l. 9. *Traƈti ruina*) Vulg. *taƈti*. Noftrum pridem iuffit Pich. & expreffit Bernegg. in Indice; primus in textum rec. Erneft. Haud bene Gruterus defendit *taƈti*.

ibid. l. 10. *Fosi*) Quos ad *Fusam* in Dioec. Hildesiensi habitasse docent Leibnit. & Hertius. Sed Kirchmaierus contra Codd. frustra rescribere voluerat *Sasi* (Saxones) pro *Fosi.*

ibid. l. 12. *Eundem*) cum Chaucis.

ead. Germaniae sinum) Sic vulg. a Puteol. Sed I. F. Gron. praefert, quod in Cod. invenerat Rhen. nec probat, *situm;* idque cum in MS. Vatic. Arundell. Cod. Kapp. aliaque vetere edit. vidisset Ernest. recepit. Sed praeferimus, quod ceteri omnes agnoscunt, *sinum*, cui verbum aptius est. *Sinum* vero *Germ.* dicit, extremam Germaniam *in Septemtrionem ingenti flexu redeuntem*, c. 35; uti supra agros decumates trans Rhenum dixit *sinum imperii*, quia haec provinciae pars in barbaros usque sinuabatur. Ita h. l. Germania in sinum flexa usque in Oceanum.

ibid. l. 14. *Lata vestigia*) Sic non solum editt. priscae ante Rhen. qui tacite dedit *late vestigia;* sed & MS. Vatic. unde nostrum restituit Broterius.

ead. Utraque ripa) f. utroque litore Oceani Orient. & Occid. ad Cimbricam Chersonesum.

ibid. l. 16. *Tam magni exitus fidem*) Restituimus lectionem antiquam, quam Lipsius ex coniectura mutaverat in *exercitus fidem.* Neque vero Conringius antiquam contemni voluit. Et quid Noster post *molem gentis* fere idem dixisset? tum satis incommode *magni ex. fide* coniungitur. At ex mole gentis colligas fidem ingentis exitus f. casus, quem post magnas res gestas tandem habuere Cimbri. Tanta vis belli Cimbrici erat, ut posset auctus videri a Romanis scriptoribus exitus.

ibid. l. 24. *Non Samnis*) MS. Turic. *Samnites.*

ibid. l. 26. *Saepius admonuere*) Frustra Rhenanus maluit *admovere* scil. exercitum l. castra; quod frigidum est. Rectius vero vulgatum defendit Pich. *Admoneri* dicitur & *verberibus* & *telo* & *flagello;* quidni & Romanos cladibus, tanquam flagello admonitos, se vinci posse, Noster acutius dixerit?

ibid. l. 28. *Amisso ipso Pacoro & ipse infra Ventidium deiectus, Oriens obiecerit*) Edd. princ. Puteol. Beroaldi, & illa, quae dicitur Cod. Kappii, habent, *amisso & ipso & ipse Pacoro infra Vent. dei. Oriens obi.* Rhenanus duplicem lectionem credens, omisso *& ipso* retinuit tantum *& ipse;* quem secuti sunt omnes praeter Ernest. qui *amisso & ipso Pacoro,*

infra V. d. O. o. edidit. Nos priori & omisso utrumque servamus, sed rectius ordinatum, ita ut ipsa oratio Taciti fortior fiat. Florus IV, 9, bellum Parthicum duce Ventidio scribens inquit — *nisi Ventidius* — ipsum*que* Pacorum *& omnem Parthicum equitatum — cecidisset.* Pacori, regii iuvenis fortissimi, caede pensata caedes Crassi, sed *& ipse Oriens deiectus infra Ventidium*, de cuius conditione antea humili vide Gellium XV, 4, & quae annotavimus ad Vellei. II, 65, p. 233 ed. Bip. Neque vero offendat geminatum illud — *ipso* — *ipse.* Etiam Cicero Tuscul. I, 17, pulchre sic scribit: *Ego enim ipse cum eodem ipso non invitus erraverim.*

ibid. l. 31. *Cn. quoque Manlio*) Vulgo *M. Manlio.* Sed cum M. Manlius vindex Capitolii, ob crimen regni, punitus olim fuisset, adiectam mortuo etiam hanc notam refert Livius, & quidem gentilitio decreto, *ne quis deinde M. Manlius vocaretur.* Hinc Freinsh. ex Liv. Epit. 67 potius *C.* (*Caii*) praenomen scribi voluit. Sed edoctus a Pighio, legendum potius esse *Cn.* ipse se correxit ad Flor. III, 3. Sic h. l. receperunt Cneii praenomen Ernest. & Broter. quos sequimur, quamvis Conring. nihil mutandum censeat, quod optimis auctoribus interdum ἁμάρτημα μνημονικὸν obrepserit. Idem forsan obrepsit Sallustio Iug. 114, ubi praen. *M.* in *Cn.* corrigere omisimus.

Pag. 26. *l.* 6. *Mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae*) Cf. Hist. IV, 15, & Agric. 13.

ibid. l. 11. *Triumphati magis quam victi sunt*) A Domitiano; conf. Agric. cap. 39.

ibid. l. 23. *Horrentem capillum*) *Horrens* opponitur h. l. *raro* & cedenti capillo.

ead. Retro sequuntur) Conringium in h. l. audiamus: *Hanc lectionem nec Lipsius, nec Cluverius, nec quidam alii sollicitant. Verum Theod. Marcilius ita emendat:* apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retrorsum ac saepe in solo vertice ligant. *Amplectitur hanc emendationem Colerus. Scaliger legendum censuit:* capillum retro sequus, ac saepe in ipso solo vertice religant. *Probat hanc correctionem Freinshemius. Placet & illa mihi prae Marciliana, quod propius accedat ad vulg. lectionem, & morem Suevicum pulchre exprimat. Alii scil. Suevorum unico nodo scil. in solo vertice, alii pluribus retro secus flexum crinem substrinxerunt, qui sunt illi* cirri *& illa* cornua *Germanorum, priscis scriptoribus memorata.* Nobis autem displicet *retro sequuntur*, ac malimus *retrorsum co-*

mantur; unde sunt participia *comans*, & quod idem notat *comata*. Quamvis enim Servius ad Virg. Aen. III, 458, *comans* verbo carere putet, habent tamen plura MSS. ap. Ter. Heaut. II, 1, 11, *dum moliuntur, dum comantur, annus est;* & ap. Plaut. Stich. V, 4, 19, *dum comat* (pro *comatur*) *dumque se exornat.*

ead. Sequuntur, ac saepe in ipso solo vertice religant) Cod. Artolphi s. Kappii h. l. interpungit ac legit: *sequuntur, ac saepe in solo vertice religatur.* Cod. vero princ. Put. Ber. habent: *ac saepe in ipso solo vertice ligant.* E quibus duabus lect. Rhenanus eam confecit, quae hodie est vulgata. Malimus: *ac saepe in solo vertice ligant.*

ibid. l. 24. Ornatiorem) Freinshem. legendum putat *ornatorem*, servum ornandi capilli peritum, quales erant Romanis. Quod a prisca simplicitate alienum putat Conringius; Kirchmaierus in principes viros convenire existimat. Et sqq. id fere suadent.

ibid. l. 25. Sed innoxia) Ita cum Mureto & Acid. rescribimus pro *innoxiae*. Idque etiam placuit, etsi non receptum, Gronovio & Ernest. ob sqq. Sed & cetera minus recte se habent, uti vulgo leguntur & distinguuntur. Nos sic instruimus: *ea cura formae* (*sed innoxia. neque enim ut ament amenturve, sed adituri bella*) *in altit. quandam & terrorem comti, ut hostium oculis ornentur.* Et habet Cod. Bamberg. non *ornantur*, ut ceteri, sed *armentur;* quod placet Lipsio. Quamvis autem in verbo error sit, modus tamen rectior. Tum si iungas *ea cura — comti, ut — ornentur;* non est quod cum Ernestio & Broterio vocem *comti* redundare & eiiciendam putemus.

ibid. l. 31. Auguriis patrum &c.) En versiculum: *aug. — sacram;* qui l. ex veteri poëta aliquo subiit l. fortuito excidit Tacito. Primus illum, teste Lipsio, observavit Ger. Falckenburgius.

Pag. 27. l. 11. Centum pagis habitantium) Edd. priscae ante Rhen. *habitantur.* Rhen. in eo haerens mutavit in *habitatur;* neque id commodum. Pich. restituit *habitantur;* quod omnes sequuntur; & tamen desiderant nominativum loci. Broterius coniicit *c. pagi iis habitantur;* quod Ernestio durius visum; & is malit *c. pagi habitantur;* addit vero bene: *si tamen* habitantur *servandum sit.* Nos invenimus nostrum ex ductibus *habitantiu*, unde *m* sequente initiali pari absumtum. Mos autem Nostro est, apponere participia. Quanta

inde potentia fuerit Suevis Semnonibus, docet Caesar de B. G. IV, 1: *ex centum pagis quotannis millia armatorum singula, bellandi causa*, exiisse tradens. Habitabant autem trans *Albin, qui Semnonum ac Hermundurorum fines praeterfluit;* ut Vellei. II, 106, habet.

ead. Magnoque corpore efficitur) Corpus h. l. est ipse populus. Cf. quae diximus ad Vellei. II, 106.

ibid. l. 13. *Langobardos paucitas nobilitat*) Cf. ad Vellei. l. c. cui dicuntur *gens etiam Germana feritate ferocior.* Ante Lipsium legebatur *Langobardis paucitas nobilitasque quod pl.* Is vero ex Cod. Farnes. verum dedit.

ibid. l. 16. *Reudigni*) Al. *Reudingi.* Cluverius coniicit *Deuringi.*

ead. Aviones) *Avionum* alibi memoria nulla, nisi sint *Caviones* s. *Chaibones*, quos cum *Herulis* coniungit Claud. Mamertinus in Genethl. Maximiani c. 7, & Paneg. c. 5. *Caviones* legi voluit Cluverius l. c.

ead. Angli) Ptolem. dicuntur Ἄγγειλοι Σούηβοι, *Angeli Suevi;* & Procopio de R. I. Ἀγγιλοί.

ibid. l. 17. *Varini*) Plin. IV, 14, *Varrini;* Proc. Οὐαρνοί, *Varni.* Ptolem. Ουΐρουνοὶ, *Viruni.* Lex vetus ap. Lindenbr. coniungit: *Lex Angliorum & Werinorum & Thuringorum.*

ead. Suardones) Cluver. *Suardones* putat, qui Ptol. Φαρόδηνοι. Conring. coniicit *Suartones* & *Vithones*, populari lingua *Swarten* & *Vvitten*; albi & nigri.

ibid. l. 18. *Nec quidquam notabile in singulis*) De situ septem horum populorum foederatorum vid. Speneri not. G. A. V, 4, p. 36 sqq.

ibid. l. 19. *Herthum*) Libri alii *Nerthum*, alii *Verthum* habent, teste Lipsio, qui ipse verius putat *Aerthum.* A Rhenano est lectio vulg. Alii tamen malunt *Hertham*, ut glossaria antiqua habent; & Schilterus in gloss. etiam sine aspiratione mavult *Ertham*, quod Saxonibus & nobis hodie *Earth* sit terra, *Hearth*, focale. Elsnerus in Comm. Acad. Berol. 1747 vult *Erdam* i. e. Erdamme, ex *Erd* terra, & *amme*, nutrix, *mater.* Quid si scriptum fuerit *Aerthcunne*, ita ut vox composita sit ex *Aerth* (*terra*), & *cunne* (*mater* s. genetrix.)

ibid. l. 22. *Est in insula Oceani castum nemus*) In Rugia. Cluverius pro *castum*, quod nemori parum aptum sit, legit *sacrum.* Freinshem. emendat in *vastum*, quod Conringio perplacet.

ibid. l. 26. *Multa cum veneratione*) MS. Turic. omittit *cum*.

Pag. 28. *l.* 1. *Templo reddat*) h. e. facro nemori. Omnis enim locus facer Latinis *templum*, Graecis *ἱερόν*. Cf. Erneft. Clav. Cicer. hac voce.

ibid. l. 5. *Quid fit id*) Vulgo poft *quid fit* legitur *illud*. Sed MS. Turic. *quid fit id*; quod rec. Broter. In hac inconftantia; hunc fequimur, & referimus *id*, fcil. numinis.

ibid. l. 9. *Eoque folis Germanorum non in ripa commercium*) Cf. quae Tencterorum legati apud Agrippinenfes dixere, quod ipfis *flumina ac terras, & coelum quodam modo ipfum claufiffent Romani* &c. Hift. IV, 65 fq.

ibid. l. 11. *In fplendidiffima Rhaetiae provinciae colonia*) Putatur effe Augufta Vindelicorum.

ibid. l. 12. *Paffim & fine cuftode tranfeunt*) Tranfitus enim cuftodiri folebant; cf. Hift. IV, 66.

ibid. l. 17. *Narifci*) Ptolem. vocantur Οὐαριστοὶ, l. potius *Narifti*. Dioni Ναρισταί. Sed Capitolino in Anton. c. 22 *Narifci*; fed & ibi Cod. Pal. ac tefte Grut. alii quidam legunt *Variftae*. Ptolemaeus autem dicit habitaffe fub montibus Sudetis. Videntur nomen habere *Narifci* f. *Norici* ab eo quod progenies fint *Nor* — f. *Narmanorum*; quafi *Nottifchen.*

ibid. l. 18. *Marcomanni*) Vulgo *Marcomani*; fed fupra Ann. II, 46 & 62 omnes edidere *Marcomanni*. Ut igitur conftanti ratione utamur, fequimur priorem eamque & cum aliis fcriptoribus congruentem orthogr.

ibid. l. 22. *Danubio protegitur*) MSS. Bamberg. Turic. Cod. Kappii f. Artolphi, ed. Spir. *peragitur*. Dein Puteol. dedit *pergitur*; Lipfius in prioribus notis maluit *porgitur* f. *porrigitur*; fed poft ea coniectura miffa ex alia dedit *praetexitur*. Pich. reftituit *pergitur*. Nos id ortum putamus ex *ptegitur*; unde noftrum invenimus aptius. Sic Nofter Ann. XV, 43: *porticibus, quae frontem infularum protegerent.*

ibid. l. 24. *Nobile Marobodui & Tudri genus*) Videntur uti apud Marcomannos ex Marobodui genere, ita apud Quados ex Tudri fuiffe reges. Cf. de Maroboduo Annal. II, 44 — 46, 62 fq. & Vellei. II, c. 108 fq. De Vannio gentis Quadorum rege a Rom. dato, conf. Ann. II, 63, & XII, 29.

ibid. l. 28. *Gothini*) Cod. Kapp. *Gotini*. Claudiano *Gothuni*.

ibid. l. 30. *Burii*) *Burii* videntur tranfiiffe in *Boioariorum* focietatem; manet nomen plurimis Bavariae ac Sueviae

locis in *Buren* f. *Beuren* terminatam appellationem habentibus. Et ipfi Staufenfes dynaftae antea *Burii* f. a Buren dicti fuere.

ibid. l. 31. *Ofos*) Cf. fupra c. 28.

Pag. 29. *l.* 4. *Ferrum effodiunt*) Quae opera fervorum & damnatorum videri potuit.

ibid. l. 6. *Vertices montium iugumque*) Acidalio *iugumque* abundat, repetitum ex fqq. Sed laudat Erneft. ex Agric. 10 *iuga* & *montes*. Et MS. Arundel. h. l. habet *iugaque*. Erneft. malit *iugorumque*. A MS. Turic. abeffe *montium*, idem refert.

ibid. l. 9. *Lygiorum*) Aliis *Lugi*, Λουγοί.

ibid. l. 11. *Helveconas*) Ptol. vocat Αἰλουαιωνάς. Plinius IV, 13, *Hillevonas*.

ibid. l. 12. *Naharvalos*) MS. Turic. Cod. Kapp. *Nahanarvalos*. Edd. Spir. & Puteol. inter utrumque fluctuant.

ibid. l. 15. *Ea vis numini: nomen Alcis*) Sic ex Cod. Kappii primus edidit Erneft. pro vulg. *eius numinis nomen Alcis*.

ibid. l. 26. *Gotones*) Sic (non ut vulgo h. l. *Gothones*) editum II, 62. Neque igitur fibi non conftet. Ac fane antiquior Cod. Corbei. quam MSS. libelli huius. Plinio autem IV, 14, & XXXVII, 2, vocantur *Guttones*; Straboni VII, Γούτωνες· ferius *Gothi*, quorum pars Getarum gentibus in Thracia mixti, & *Getae* dicti. Orofius vero I, 16: *Getae illi, qui & nunc Gothi* &c.

ead. Regnantur) Libri fcripti omnefque editi ante Rhen. *regnant*; quod is indubie correxit ex hift. I, 16 extr. in *regnantur*. Praeter rem illud revocat Erneft. putans, *regnare gentes* dici poffe, apud quas regium imperium eft.

ibid. l. 27. *Paulo iam adductius*) Sic libri omnes veteres. Sed in Rhenani alteram mendo irrepferat *addictius*, quod edd. fecuti funt ufque ad Pich. qui reftituit *adductius*, h. e. adductioribus quafi habenis.

ibid. l. 29. *Rugii*) Aliis fcriptt. vocantur *Rugi* l. *Rogi*. Habitaffe videntur ad Viadri dextram ripam & Oceanum, ubi amnis *Regen* f. *Rogen* eft, & duo hodie oppida *Rugenwolde* & *Regenwolde* vocantur.

ead. Lemovii) Proximi Viftulae oftio fuiffe videntur. Cenfentur poft Tacitum dicti fuiffe *Heruli*.

Pag. 30. *l.* 1. *Suionum hinc civitates*) In Suevia tranfmarina Scandinaviam iuxta montem Sevonem (quo Suecia a Norvagia fere ubivis feparatur) coluere. In earum natio-

K 4

ne creduntur fuisse Scandii, Hilleviones & Gutae; confer Plin. IV, c. 15 & 16.

ead. Ipsae in Oceano) Sic MSS. & editi ante Rhen. qui tacite dedit *ipso*. At illud nobis elegantius & verius videtur.

ibid. l. 3. *Utrinque prora paratam*) Barbaris quoque populis iuxta Pontum Euxinum eiusmodi naves, quas Graeci *Camaras* vocabant, Hyginus *biproras*, in usu fuisse refert Noster Hist. III, 47 extr.

ibid. l. 4. *Nec velis ministrant*) Sic Lipsius bene corrigit ex Virg. Aen. VI, 302, pro *ministrantur*. Credas *velis* esse casum tertium.

ibid. l. 13. *Oceanus;*) Punctum h. l. tollimus, ne sqq. nimis disiungantur a *quia*. Est enim in iis altera ratio, quare clausa teneantur arma.

ibid. l. 16. *Regia utilitas est*) Nescio an turbatus sit ordo scriptionis. Mirum certe, quod h. l. non subiuncta legantur, quae cap. 45 extr. post Aestios antiquos, hodiernae Porussiae incolas, vulgo posita sunt: *Suionibus Sitonum gentes continuantur. cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant.*

ibid. l. 17. *Ac prope immotum*) Plinio IV, 13 & 16 extr. *concretum*, *Cronium* mare.

ibid. l. 19. *In ortus edurat*) Pich. malit *ortum;* quo non est opus. Noster intelligit *ortus* diurnos, s. dierum initia. Alii etiam h. l. ineptias suas affingunt, quas mittimus.

ibid. l. 20. *Ut sidera hebetet*) Non mirum hoc contingere, inquit Kirchmaierus, ubi cum vix infra Horizontem mersus Sol est, iam mox affuturus iterum, relictis, quis sidera stringit, radiis, caliginem facile omnem arcet fugatque. (Videntur verba Taciti fere convenire in auroras boreales sub extremum Septemtrionem frequentes; cf. mox not. ad l. 21.)

ead. Sonum insuper audiri) Vox h. l. vulgo inserta *emergentis*, quae abest ab edd. priscis Bonon. Spir. Puteol. & a MS. Turicensi, addita a Rhenano ex Cod. Artolphi (s. Kappii) exercuit editores. Lipsius malit, approbante Cluver. *se mergentis*, testem Posidonium (ap. Strabon. L. III) adducens, plebem rudem olim credidisse, Solem, dum in Oceanum cadit, stridorem edere non aliter, quam si ignitum ferrum condatur in aquam; cf. & Flor. II, 17, 12. Colerus emendat *immergentis*. Sed Gruterus delet vocem ut

ſpuriam; quod & putat Ern. Ac ſane brevitas Taciti fecit, ut inſcitus aliquis interpres adderet *remergentis ſe;* quae dein irrepſere in textum. Nos tollimus punctum ante *ſonum*, & intercidimus tantum, ut appareat, *ſonum*, uti antea *fulgor*, referri ad verba *cadentis iam Solis.*

ibid. l. 21. *Formaſque Deorum*) Verba ſuſpecta multis. Colerus: *quorum Deorum? nugae. Nullum a libris veteribus auxilium. Itaque timidius legerem:* formaſque equorum. *Apud Virgil.* formas ululare luporum. *Superſtitioſa gens equos Solis & capitis divini radios cernere ſe ſomniabat.* Placuit haec emendatio Conringio. Tan. Faber ſua illi adſperſit: *formas equorum & radios in capite adſpici* &c. MS. Turic. habet *formas* ſine copula. Num vero equos ſ. currum Solis, poëtis celebres, populi iſti credidere? nedum quod equi Solis prius, quam ipſe, ſubirent mare. Heinſius fecit *formaeque decorum ſ. decorem;* ſed in Solis decore viſo nihil ſuperſtitioſum ineſſe videmus. Nos ipſi nihil coniicimus; ſed exiſtimamus, effigies animalium impreſſas Soli, unde deciduis ſeminibus, praecipue in mari monſtrificae gignantur effigies, (ipſo Plinio docente H. N. L. II, c. 3) credidiſſe & illos. (Sed & haec forſan ad auroram borealem referas; quod mihi eo probabilius videtur, poſtquam in Pawii Recherches ſur les Americains T. I, Sect. II, p. 379 ed. Cliv. 1772 legi: *Au reſte on ne ſauroit diſconvenir, que le gout de perſonnifier les aſtres, les méteores & tous les accidents ſinguliers qui ſurviennent à l'Atmoſphere, ne regne encore aujourd'hui dans un ſupreme degré chés toutes les nations barbares. Les Groenlandois & les Iroquois connoiſſent, comme on ſait, quelques conſtellations; mais il n'y a pas une ſeule etoile de ces conſtellations qu'ils connoiſſent, dont ils n'ayent fait ou un chaſſeur ou un être animé: leur imagination a etrangement travaillé, dit Mr. Goguet, ſur tous ces objets. (voyés ſa diſſert. ſur les noms & les figures des Conſtellations.) Mais je ne croi point quelle ait travaillé plus que l'imagination des Grecs, lorsqu'ils etoient encore ſauvages, & lorsqu'ils* faiſoient deſcendere les Dieux ſur les mont Olympe, *en perſonnifiant l'aurore boreale, dont par leur poſition ſur le globe, ils ne pouvoient apperçevoir que les extremités, ou cette partie qu'on nomme la Couronne. Comme l'Olympe eſt au Nord de la Greçe, ce phenomene, qui vient du pole Arctique, leur paroiſſoit fixe au ſommet de cette montagne, & y faiſoit voir des jets & des elançements de lumiere, que des hommes auſſi ſuperſtitieux que groſſiers prennoient pour*

les rayons des Dieux & les decorations de la Cour celeste. Auroram borealem memorat etiam Ditmarus in Chron. Merseb. ad an. 991, p. 351 ed. Leibnit.)

ibid. l. 22. *Illuc usque it fama: vera tantum natura*) Vulgo: *Illuc usque (& fama vera) tantum natura.* Lipsius exponit, *quasi ibi Oceanus finem faciat Naturae;* sed nemini satisfecit. Hinc alii, ut Pich. Coler. Grot. Conring. Vossius & Heinsius, coniecturis locum tentarunt, nihil assecuti sunt. Nos locum, ex inditis a Lipsio parenthesеos notis affectum, reficimus, sublatis uncinis, rectius intercidendo, & lenius & emendando in *it.* Fama enim, ut rumor, *ire* dicitur. Tacitus autem dicto hoc dignosci voluit verum a falso. Vera sunt priora, quae de cadentis & orientis Solis confini fulgore dicta, & naturae h. e. rei ipsi, qualis est, conveniunt; longe alia, quae fama addidit credentium. Et Cicero *fabulosum* opponit *naturali; opinionum* commenta indiciis *naturae.*

ibid. l. 23. *Aestyorum gentes*) Vocantur & aliis *Aesti*, *Aisti* & *Hesti;* de quorum situ &c. cf. Spener. not. Germ. L VI, cap. 1.

ibid. l. 27. *Omnique tutela*) Vulgo *omniumque.* Nostrum, quod ut melius coniecerat Lipsius, invenit Ernestius in MS. Turic. idque recepit. Secuti Broter. & Lallemant.

Pag. 31. *l.* 2. *Ipsi Glesum vocant*) Unde *insulae Glessariae* in mare Germanicum sparsae, (ut Plin. IV, 16 ait) *quas* Electridas *Graeci recentiores appellavere, quod ibi electrum nascеretur,* nomen habent. Idemque IV, 13: *Glessaria, a succino militiae appellata: a barbaris* Austrania, *praeterque* Actania.

ibid. l. 8. *Succum tamen arborum esse intelligas*) Conf. huc Plin. XXXVII, c. 3. Ad hunc vero locum Taciti respicit Cassiodor. V, Ep. 2.

ibid. l. 20. *Suionibus Sitonum gentes* &c.) Aptius forsan verba *Suionibus — degenerant* congruunt in finem cap. 44, ut ibi coniecimus; si quidem *Sitones* in Norvagia fuere.

ibid. l. 23. *A servitute degenerant*) I. F. Gronov. frustra tentat *in serv.* Sed Noster dicit, etiam turpius esse servire feminae quam viris. Vellei. II, 83, *infra servos cliens.* Cf. denique Nostrum in Agric. c. 2 extr.

ibid. l. 26. *Peucini, quos quidam Bastarnas vocant*) Plin. IV, 14: *Peucini, qui & Bastarnae.* Strabo l. VII *Bastarnas* divisos fuisse in *Admonos*, *Sidones* & *Peucinos*, atque hos postremos insulam Istri *Peucem* tenuisse, scribit. Sed alii ma-

lunt nomen arcessere a monte *Peuce* supra Dacos, iuxta quem habitasse tradit Ptolem.

ibid. l. 28. *Sordes omnium*) s. paupertas. Sic Noster Hist. I, 66 & alibi sordidum opponit diviti.

ibid. l. 29. *Torpor procerum*) Male Rhen. dispunxit h. l. quae Puteol. coniunxerat, indeque *procerum* immutare cupit in *ceterum.* Tum alii, ut Altham. Muret. Colerus, voluere: *ceterum conn. mixti.* Iam Acid. punctum h. l. recte censuit tollendum. Credas igitur, Peucinos, ob paupertatem omnium & procerum desidiam, ab habitu Germ. ad illum foediorem Sarmatarum, quibus affinitate annexi erant, aliquantum descivisse.

ibid. l. 31. *Ex moribus)* Int. Sarmatarum.

Pag. 32. *l.* 3. *Domos fingunt*) Verbum hoc Ernest. restituit pro *figunt*, quod Lipsius in ed. I tacite dedit, omnesque adhuc secuti sunt. Addit Ernest. *fingunt aedes hi populi, ut rustici nostri.*

ibid. l. 4. *Pedum usu*) Ita Lipsius pro *peditum* in edit. I rescripsit & sqq. omnes receperunt. Ernestius probat correctionem, sed *peditum* revocat in textum.

ibid. l. 5. *Quae omnia diversa Sarmatis sunt*) Confer Hist. I, 79.

ibid. l. 15. *Id beatius arbitrantur*) Puteol. aliique prisci edd. *sed beatius arbitr.* pro quo Rhen. nostrum dedit, quod verius sit. Ern. illud revocat, malens tamen *sed id.*

ibid. l. 18. *Securi adversus Deos*) h. e. ut Pich. exponit, adversus coeli iniurias, grandines, & tempestates &c.

ibid. l. 20. *Opus sit*) Puteol. *esset;* quod recte Pichen. correxit, addens, *nam vetus editio nostra* (Bonon.) *cum qua nostram conferebamus, manifeste habebat* sit. Frustra Ernest. revocat lect. Puteol.

IN IUL. AGRICOLAE VITAM.

Pag. 36. *c.* 1. *l.* 3. *Quamquam incuriosa suorum*) s. recentium; cf. Ann. II, 88 extr.

ibid. l. 4. *Quoties magna aliqua ac nobilis virtus vicit — ignorantiam recti & invidiam*) Ex oculis sublata vicit virtus ign. recti & invidiam. Cf. Hor. Od. III, 24, v. 31 sq. & Vellei. II, 92: *Praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur.*

Pag. 37. *l.* 9. *Rutilio*) Rutilius Rufus fcripfit & hiftorias & oratt. & de vita fua; teftantibus paffim fcriptoribus, interque eos Charifio, & Ifidoro Origg. L. XX.

ead. Scauro) De quo vide Cic. in Bruto cap. 29; Plin. XXXIV, c. 1, f. 5; & Val. Max. IV, 4 extr.

ibid. l. 12. *Venia opus fuit*) A Principe fc. Traiano.

ibid. l. 13. *Ni incufaturus tam faeva*) Omnes fcripti & editi vett. *curfaturus*. Rhen. refcripfit *incurfaturus*; Lipfius vero coniecit *incufaturus*. Pichena reftituit prifcum, non quod placeret, fed quod prae Rhenani coniectura alteram Lipfii margini adfcriptam probaret. Ita Boxhornius fecutus Rhenanum: ceteri prifcam retulere lectionem; quamvis Lipfio affurgant Pichen. & Acid. *Curfare tempora*, quamvis abfque exemplo demus, dici pro *decurrere* f. *fcribere tempora*; id tamen non convenit in Noftrum, qui non tam gefta fub Domitiano, quam vitam foceri fcripturus erat. *Incurfare* autem vehementius eft, quam quod Tacitum deceret aut ei conceffum foret. Lenius eft *incufare*, cum querela reprehendere f. queri. Quantulum vero abfunt ductus *icufat.* a *curfat.* Itaque recipimus. Incufaturus autem illa, laudabit recentia.

ibid. l. 15. *Aruleno Ruftico Paetus Thrafea*) Cf. de utroque, & Thrafea iuffu Neronis caefo, Ann. XVI, c. 21 fqq. & eius *laudatore* cap. 27. Rufticum a Domitiano occifum docet Nofter infra cap. 45, & Suet. Dom. c. 10.

ead. Herennio Senecioni Prifcus Helvidius) De Helv. Prifci cafu fub Vefpaf. cf. Suet. c. 15; cuius filius etiam occifus Suet. l. c. aeque & laudator Helvidii patris Herennius Sen. traditur infra c. 45; cf. Plin. Ep. I, 5, III, 11, & VII, 19.

ibid. l. 20. *Scilicet, illo igne — aboleri arbitrabantur*) Conf. quae Nofter cafui Cremutii Cordi, hiftorici, addidit Ann. IV, 35 extr.

Pag. 38. *l.* 1. *Nunc demum redit animus. Sed quamquam*) Vulgo — *animus: & quamq.* Lege: *animus. Sed quamq.* ex priori voce affumta finali. Sic illi mox refpondet: *natura tamen* &c. & oratio aptior eft.

ibid. l. 5. *Felicitatem imperii*) Olim editum *facilitatem*, antequam ex Veneto Pichen. refcripfiffet noftrum, quod Lipfius iam coniecerat, & dein fecuti funt omnes praeter Erneftium, qui revocat priorem illam lectionem adverfus Pichen. contendens, in ed. Puteol. Veneta legi *falicitatem.* Cum editio Taciti Veneta a Puteol. 1497 curata non ha-

beat vitam Agricolae, diverſam ab hac ed. in manibus habuit vir doctus; neque Pichena Veneti ſui, quem in priori Codicem appellat, annum indicavit. Quidquid eius ſit, facilius inde eſt colligere lectionem Pich. quam tranſpoſitionem ſumere. Neque nos turbat Gron. ad Liv. XXIII, 11.

ibid. l. 6. Securitas Publica) Gruterus ad h. l. *Loci huius vim neutiquam aſſequetur, qui non conſuluit marmora, quorum literas produximus Inſcript. pag. CV, 5, CVI, 6. Sed inprimis antiqua viſentur numiſmata.* Scil. in iis *Securitas Publica, vota pro Sec. P.* & *Spes* expreſſa; ſed fruſtra.

ibid. l. 9. Et ut corpora) Venetus liber Lipſio conſultus in ed. I, addit *noſtrum.*

ibid. l. 13. Per quindecim annos) Hoc enim temporis ambitu definitur Domitiani imperium.

ibid. l. 15. Promtiſſimus quiſque) ſcil. animo ſ. virtute.

ibid. l. 16. Pauci, ut ita dixerim) Ante Rhen. legebatur, *pauci & uti dixerim.* Is in noſtrum correxit; quod abinde adhuc mendoſe retento *&*, *ut ita dix.* dederant omnes.

ibid. l. 17. Noſtri ſuperſtites ſumus) h. l. *ſuperſtes ſui*, qui ſibi ſuperſtes vivit, aetati obluctatur; cf. Senec. Ep. 30.

ibid. l. 21. Memoriam prioris ſervitutis) Sic pulchre invenit Lipſ. ex vulgato ante *ſenectutis.*

ibid. l. 28. Quae equeſtris nobilitas eſt) ſ. quo ex honore Equites fiunt nobiles, ſ. qui honor eſt indicium nobilitatis equeſtris. Equitibus, uti ſenatorii generis viris ex magiſtratu curuli, ex honoribus maiorum erat nobilitas.

ibid. l. 29. Iulius Graecinus) Cf. Seneca de Benef. II, 21 de hoc viro egregio, quem & ſic vocat Ep. 29. Atque is ſcripſit quoque de re ruſtica ſ. de Vineis, teſte Colum. I, 1. Hos alioſque auctt. Lipſ. excitat.

Pag. 39. l. 1. M. Silanum accuſare iuſſus) Cf. Hiſt. IV, 48.

ibid. l. 12. Acrius, ultraque quam) Ante Lipſ. & Pich. legebatur *acrius, ultra quam* &c. Lipſio primum redundare viſa vox *acrius*, eoque uncinis incluſa. Tum Pich. inde invenit *ac iuris*, eamque ut veram lectionem recepit, quam ſecuti ſunt omnes praeter Erneſt. Sed iuris ſcientia Romae in honore erat, ita ut eius peritis etiam Senatoribus maxima eſſet auctoritas; conf. Ann. III, 75; & ea ſubſidium eloquentiae habebatur (cf. Dial. de Orat. c. 31 extr.) Eloquentia & iuris notitia ſtudia habebantur civilia, illuſtribus conceſſa. Neque etiam tum iuris prudentia dominantibus ſubmiſſa & penes libertos erat. Sed philoſophiae ſtu-

dium praetendi videbatur ſegni otio; cf. Hiſt. IV, 5. Itaque cum Ern. deſerimus Pichenam; ſed & quam Lipſius ultimis curis addi voluit copulam *ultraque quam*, recipimus.

ibid. l. 19. *Ex ſapientia modum*) ſ. philoſophia, quae praecipit *ſervare modum* in rebus.

ibid. l. 20. *Suetonio Paullino*) Conf. Ann. XIV, 29 — 37. Noſter & Hiſt. II, 31, de eo: *nemo illa tempeſtate militaris rei callidior habebatur.* Itemque l. c. cap. 25: *cunctator natura, & cui cauta potius conſilia cum ratione, quam proſpera ex caſu placerent.*

ibid. l. 22. *Quem contubernio aeſtimaret*) h. e. penitus exploraret. Ern. tamen malit *adhiberet.* Propius ſit *admoveret.*

ibid. l. 24. *Et commeatus*) In commeatu dicuntur, qui veniam abſentiae a ſignis habent a duce.

ibid. l. 29. *Exercitatior*) h. magis agitata, vexata; conf. Cic. Somn. Scip. c. 21, & Hor. Epod. 9, 31.

ibid. l. 31. *Incenſae coloniae*) Noli cum Lipſio tentare *incenſa colonia;* quod una tantum, Camulodunum, incenſa eſſet. Cf. Ann. XIV, 31 ſq. Eadem clades fuit Londinio & Verulamio XIV, 33; neque h. l. opus erat diſtinguere *col.* & *municipia.*

Pag. 40. *l.* 4. *Artem & uſum*) Commodius viſum Lipſio *attamen & uſum* &c. nec nobis diſplicet.

ibid. l. 14. *Tanto maior laus*) Int. concordiae coniugalis. In bonorum concordia maxima laus; (hinc maxime laudavit Plinius Fanniam, Helvidii Priſci uxorem Epiſt. VII, 19; hinc Noſter Nonii Priſci & Glitii Galli uxores exſilii comites Ann. XV, 71; hinc Vellei. II, 26, Calpurniam Antiſtii coniugem) uti in concordia cum mala uxore maxima quoque culpa eſt viri. Sic enim Noſter Ann. III, 34: *nam viri in eo culpam, ſi femina modum excedat.* Qualis erat inter Antonium & Fulviam, Claudium & Meſſallinam, Neronem & Poppaeam &c. Similiter Marius ap. Salluſt. Iug. cap. 31 τὸ *eadem cupere, eadem odiſſe* transfert eo: *Sed haec inter bonos* amicitia, *inter malos* factio *eſt.* Sic brevius explicata ſit ſententia, quam neque aſſecuti ſunt, qui cum Pichen. pro *maior* maluere *minor,* neque qui vulgatam male defenderunt.

ibid. l. 29. *Moderationis atque abundantiae duxit*) Leguntur haec vulgo: *modo rationis atque abundantiae duxit;* mirumque eſt, quantum haereant in hoc luto editores. Nos coniungimus duo priora verba in unum, quod pridem ſuaſe-

re Lipsius & Colerus, in ceteris aberrantes; & exponimus: *Ludos*, ceteraque, quae, quamvis inania, ratio honoris f. muneris poscebat, *moderationis, atque abundantiae* f. magnificentiae res esse *duxit;* temperavitque adeo, ut neque ob effusionem pecuniarum reprehendi mereretur, & avaritiae suspicionem, etiam magis, effugeret. Conf. quae Cic. de Offic. II, 16 & 17 hanc in rem dixit.

Pag. 41. *l.* 5. *Dum Intemelios*) Sic tandem receptum Broterio & Ern. pro corrupto illo *dum in Templo;* quod male retinuere editt. quamvis F. Ursinus pridem se in vet. Cod. (nescio utrum Iocundi an Vatican.) invenisse testatus sit *dum Intemelium* (*Liguriae urbs est*). Videtur Iocundus respexisse ad Hist. II, 13, ubi dicitur *municipium Albium Intemelium.* Et alii, ut Hieron. Syrita in Emendd. ad Itiner. & Savilius, correxerant: *dum Intemelio.* Lipsius emendavit in nostrum; incolae enim pars Ligurum dicti *Intemelii;* conf. Strabo L. IV.

ibid. l. 11. *Deprehensus*) Lege *reprehensus*, h. e. retractus, revocatus.

ibid. l. 16. *Vicesimae legioni*) Quae erat ex Britannicis legionibus; cf. Hist. I, 60, & III, 22. Antea Legatus legionis erat Roscius Celer.

ibid. l. 24. *Vettius Bolanus*) Cf. de eo Hist. II, 65, ubi pro *Vectius*, cum Ryckio ex lapidibus dedimus *Vettius*, & cap. 97.

ibid. l. 27. *Ne incresceret*) Bene Broterius exponit: *ne maior videretur Legato ipso;* atque hic, ut minor prudentia ac virtute, contemneretur. Ernestius scrupulos movet inanes.

ibid. l. 29. *Habuerunt virtutes spatium exemplorum*) h. e. sub Ceriali spatium Agricolae datum, in quo praeberet virtutum exempla. Scil. obsequii, verecundiae, fortitudinis ipse erat exemplum. Neque igitur opus tentare cum Lipsio: *Habuerunt virtutes spatium & exemplum;* quasi Cerialis ea dedisset.

Pag. 42. *l.* 10. *Splendidae in primis dignitatis*) Provincia enim ista amplissima ex instituto Augusti patebat a Pyrenaeis montibus ad Ligerim usque; & spem afferebat Consulatus.

ibid. l. 13. *Castrensis iurisdictio secura*) h. e. temeraria seu minus sollicita de vita ac statu aliorum. Harlaeus frustra maluit *severa.* Mox *obtusior* opponitur subtilitati.

ibid. l. 16. *Quamvis inter togatos*) Nunc in provincia pa-

cata inter togatos verſans, ipſe militaris vir neque adhuc niſi ad iuriſd. caſtrenſem exercitatus. Unde Grotius plane a vero aberravit, volens *inter ſagatos*, ſ. *non inter togatos*.

ibid. l. 20. *Nulla ultra poteſtatis perſona*) Perſonam, quam officium impoſuerat, graviorem ſibi detrahebat; faciliorem ſe praebebat.

ibid. l. 24. *Integritatem atque abſtinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutum fuerit*) Neque enim tam laudandus eſt, qui integritate praeditus ſit, quam vituperandus, qui non eſt. *Integritas* & *abſtinentia* eſt vitii abſentia, necdum ut virtus laudanda. Hinc forſan intelligas & defendas vulgatam lectionem apud Vellei. II, 45, pag. 201 ed. Bip. de Catone: *cuius integritatem laudari, nefas eſt.*

ibid. l. 28. *Adverſus collegas*) h. e. Legatos, qui finitimis provinciis praeerant, notante Pich.

ead. Procul a contentione adverſus Procuratores) *Aquitania* tripertita erat: *vetus*, & *adiecta prima* ac *ſecunda*. Num totidem Procuratores, quot provinciae? Exemplum contentionis eiuſmodi vide Ann. XIV, 38. De diſcordia praepoſitorum in provinciis vide infra cap. 15.

Pag. 43. *l.* 4. *Aliquando & elegit*) Sic edd. ante Rhen. qui ex coni. ſcripſit *eligit*, quod vulgatum. Nos cum Ern. praeferimus priſcum. Exitus docet aliquando famam praeiviſſe principibus, qui eam recte ſequerentur.

ibid. l. 14. *Maxima*, *ſpatio* &c.) Sqq. laborare fatetur Lipſius, neque tamen iis ſatis medetur alia interciſione, quamvis eam quoque probet Scriverius: — *maxima ſpatio, ac coelo* (h. e. ſi coelum intueare & ab eo ſitum) *in Orientem* &c. Vulgatam diſtinctionem Voſſius ad Melam II, 2, male defendit. Quid enim Critici non defendant? Num nos quoque male coniicimus? — *maxima*, *ſpatioſo intervallo in Or.* &c. Quod ſi per notas ſcriptum fuerit *ſpatioſo it'vallo;* facilis hinc imperito librario lapſus fuerit ad vulgatum. Videtur autem Noſter h. l. convenire cum Plinio H. N. IV, c. 16, ſic dicente: *Britannia inſ. — inter Septemtrionem & Occidentem iacet*: *Germaniae*, *Galliae*, *Hiſpaniae*, *multo maximis Europae partibus magno intervallo* (ſcil. quo ab Occidente in Orientem porrigitur) *adverſa.*

ibid. l. 21. *Scutulae*) A *ſcutra* eſt, & lancis genus, quadrilateri oblongi. Alii malint *ſcutelli* a *ſcutum.*

ead. Aſſimilavere) ſ. comparavere. Sed alii & h. l. vo-

lunt *assimulare*, quod cum regit casum quartum, notionem infert imitandi.

ibid. l. 25. *Velut in cuneum*) Unde rectius Caesar B. G. V, 12: *Insula natura triquetra, cuius unum latus est contra Galliam.*

ibid. l. 26. *Tunc primum Romana classis circumvecta*) Noli haec ad Vespasiani tempora referre; sed ad illa Claudii, quorum testis fuit Fabius Rusticus, Senecae amicus, & Nostro in Annal. Claudii ac Neronis XIII, 20, XIV, 2, & XV, 61, laudatus. Neque sic adversantur Tacito Pomponius Mela, qui sub Claudio vixit, ut cognitas memorans *Orcadas insulas XXX numero*, aut Oros. VII, 5, & Euseb. in Chron. qui Claudium Orcadas ins. Rom. imperio adiecisse tradunt.

ibid. l. 29. *Dispecta est & Thule*) Primum & procul visa, neque igitur adita ipsa. *Dispicere* h. l. initium videndi significat, ac dicitur de his, qui lumen plenius requirunt oculis, ut catuli, si primum oculos aperiant, *dispicere* dicuntur; confer Ernest. Clav. Cicer. Sed vide, quam falso sqq. vulgo legantur, aut quam audaces simus in emendando. Ita vulgo: *dispecta est & Thule, quam hactenus nix & hiems abdebat, sed mare pigrum & grave remigantibus perhibent. Ne v. q.* &c. Absurdum sane illud *quam hactenus;* neque quisquam explicat. *Hactenus* nobis est adv. loci, non temporis; & quotannis *hiems appetit*, h. e. instat, adventat. Nihil vero lenius est emendatione nostra, ex qua apte coniunguntur *dispecta — quadamtenus* s. aliquantulum. Rationem iam subdit, quare non propius considerari potuerit: *nix & h. appetebat.* Sic vero legunt omnes edd. priscae ante Rhen. qui primus ex coni. rescribens *abdebat* (pro quo melius esse Ernest. iudicat *abdiderat*) magis sensum Taciti abdidit s. ab eo aberravit; *sed mare pigrum &* (s. etiam) *grave rem.* scil. erat. Sic tandem rectius *perhibent* coniungimus sqq. De *Thule* (al. *Thyle*) insula diversae sunt veterum ac recc. sententiae. Alii male *Scandinaviam* putant, quae ipsa est peninsula (ad Germaniam relata Nostro), & a Calcedonio mari remotior; alii *Schetlandiam*, quae ipsa est una ex Orcadibus tum inventis. Verum si cum Nostro Plinium conferas II, sect. 77, 112, IV, 30 extr. & VI extr. (Plinio praeiverat laudatus ipsi Pythaeas Massiliensis, consentit Marinus, illumque sublegit Solinus c. 35) minime obscurum est, quae de Thule insula, tantum dispecta,

tradidere veteres, ad amussim quadrare in Islandiam. Sed haec h. l. expedire, nimis longum sit.

Pag. 44. *l.* 1. *Perinde attolli*) Vulgo *proinde*. Nostrum Grotius & Ern. rescribunt.

ibid. l. 9. *Et iugis etiam*) Sic Broter. ex MS. Vatic. Vulgo *etiam iugis.*

ibid. l. 10. *Velut in suo*) Saniora sunt, quae vulgo leguntur, quam quaecunque alii tentarunt.

ibid. l. 17. *Posita contra Hispania*) Seqq. fere transcripsit Iornandes de R. Get. c. 7. Prisce: *posita contra Hispaniam.* Rhenanus enim immutaverat in *positu contra Hispaniam*, quasi diceret *ob positionem contra Hispaniam.* Sed Pich. malebat *positus* posito. Ernestius tandem verissimum invenit nostrum, q. d. *posita regione Hispania.*

ibid. l. 20. *In diversa*) s. adversa.

ibid. l. 21. *Habitum dedit*) Ernestius vocem *eundem* intercidisse censet.

ibid. l. 23. *Eorum sacra deprehendas*) s. cognoscas.

Pag. 45. *l.* 7. *Rarus duabus tribusve civitatibus — conventus*) Ne tentes cum Ern. *consensus*. Lipsius idem coniecerat in ed. I, sed postea omisit. Cf. Caes. B. C. II, 19.

ibid. l. 18. *Infraque coelum & sidera nox cadit*) h. e. coelum sideribus illustre, neque fere obsistentibus umbris, vincit noctem. Ernestius post Virdungum ad h. l. excitat, quae Eumenius Paneg. in Constant. cap. 6, de Britannia fere eundem in modum dixit.

ibid. l. 26. *Quidam artem abesse legentibus arbitrantur*) Quod decolores sint, neque candore commendentur margaritae.

Pag. 46. *l.* 10. *Tiberius praeceptum*) Edd. vett. *Tib. praecipue.* Sed Ursinus illud invenit in vet. Cod. quod Lipsius valde probat; Pich. margini adscripsit, Bernegg. recepit; hinc omnes secuti. Firmatur autem ex ipso Tac. Ann. IV, 37, ubi Tiberius de se: *qui omnia dicta factaque eius vice legis observem.* Ipsum Augusti consilium retulit Ann. I, 11 extr. cuius rationes adducit Lipſ. ex Strabone IV, p. 200.

ibid. l. 12. *Et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent*) De Germ. c. 37: *mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae.* Nondum ipse invaserat Britannos. Male igitur interpres Gallus Bletterius h. l. legit *ut adv. Germ.*

ibid. l. 14. *Auctor operis*) h. e. rei adv. Britannos gerendae, & feliciter gestae; ut Hist. I, 2 init. & saepe ap. Vellei. Praemissus autem primum Plautius, dein comes Claudii fuit.

ibid. l. 18. Aelianus Plautius) Vulgo *Aulus Plautius.* Sed in infcr. Tiburtina, quam ex Kirchero reddidit Ryckius ad Hift. IV, 53, vocatur *Ti. Plautius Aelianus Silvanus;* & l. c. Nofter: *Plautio Aeliano pontifice praeeunte.* Itaque & h. l. emendamus.

ibid. l. 19. Oftorius Scapula) De quo vid. Ann. XII, 31-39.

ibid. l. 22. Veteranorum colonia) Camulodunum, l. c. 32.

ibid. l. 23. Cogiduno) Fratri Caractaci, de quo vide l. c. cap. 33.

ibid. l. 27. Mox Didius Gallus) Cf. l. c. cap. 40.

ibid. l. 29. Didium Veranius excepit) Cf. Ann. XIV, 29.

ibid. l. 31. Suetonius hinc Paullinus) De quo vide l. c. 29 — 39.

Pag. 47. l. 12. Alterius manus, Centuriones alterius, vim & contumelias mifcere) *Manus* funt *Procuratoris* operae cohorfque eius (nam & Procuratoribus aderant manus militum; cf. Ann. XIV, 32 de Procuratore Cato Deciano:) praetereaque comites Procuratoris, manus eius dicuntur Cic. in Verrem II, c. 10 (ut praefecti, fcribae, accenfi &c. tota illa fcripturariorum & operarum cohors). *Centuriones* cum militibus fuis funt *Legati.* Illi & hi *mifcebant vim & cont.* Debetur autem haec diftinctio textus melior I. F. Gronovio & Boxhornio; cum ante male fic diftinguerentur verba: *Alterius manus, Centuriones; alterius vim & cont. m.* unde variam, fed inanem, operam lufere Lipfius aliique.

ibid. l. 30. Boadicea) Vulgo *Voadica;* fed vide not. ad Ann. XIV, 31.

Pag. 48. l. 10. Proprius ex Legato timor) Sic Rhen. tacite dedit, cum antea legeretur *propius*, quod Ern. reftituit. *Proprius* eft praecipuus, non communis.

ibid. l. 13. Miffus Petronius Turpilianus) Cf. Ann. XIV, 39.

ibid. l. 16. Trebellio Maximo) De quo cf. Hift. I, 60.

ibid. l. 27. Nec Vettius Bolanus) Cf. Hift. II, 65.

Pag. 49. l. 3. Et terrorem ftatim intulit Petilius Cerialis) Cf. fupra cap. 8.

ibid. l. 11. Quantum licebat) Cf. fupra cap. 5 extr.

ibid. l. 21. Et quibus bellum volentibus erat) Sic Broter. ex MS. Vatic. edidit; & fecutus Erneft.

ibid. l. 27. Cuftodiri fufpecta) h. e. obfervari *fufpectos*, caveri, ne quid ab iis fieret fraudis.

Pag. 50. l. 4. A cuius poffeffione) h. e. *occupatione.* Poffidere enim Noftro in Ann. & in Hift. ufitatum pro occupare.

ibid. l. 5. *Supra memoravi*) Cf. c. 14 extr. & 16 init.

ibid. l. 21. *Ne laureatis quidem*) Int. literis. Cf. Hist. III, 77: *Ipse* (Vitellii Imp. frater) *lauream prospere gestae rei ad fratrem misit.* Cf. Liv. V, 29, & XLV, 1.

ibid. l. 27. *Causas bellorum statuit excidere*) Sic vett. edd. ante Lipsium, qui dedit *exscindere;* ex illisque restituit Ernest. *Causae*, ut radices, stirpes, *excidi* aptius dicuntur, quam *exscindi.*

ibid. l. 28. *Primam domum suam*) Sic Ernest. ex edd. melioribus restituit, pro *primum*, quod dedit I. F. Gronov. nobis iam in ed. Francof. 1542, ad exemplar Rhenani recusa, repertum.

ibid. l. 30. *Agere nihil per libertos*) Inserimus verbum *agere* (h. e. *agebat*), quod desiderant omnes, & Ernest. ex priori verbo simili intercidisse recte censet.

Pag. 51. *l.* 2. *Milites accire*) Suspectum hunc habent locum Boxh. Gronov. & Ern. tentantque infeliciter. Et habent omnes editi *milites ascire*, quod Danesius, teste Ursino, emendabat in *comites asciscere.* Verbum enim *ascire* dubium est apud ipsum Virgil. Aen. XII, 38. Nos lenius rescribimus *accire;* scil. qui ipsi, ut duci, essent *accensi.* De ministris enim Reipubl. sermo est. *Accensus* ab *acciendo*, ut Varro inquit, dicitur non tam, credo, quod is quoque, ut lictor *acciebat*, sed quod ipse *accitus*, evocatus esset. In provinciis certe & in exercitu, scribit Asconius Ped. nomen ordinis & promotionis in militia. Apud Nostrum dicuntur tales *evocati.*

ibid. l. 7. *Praeponere*) Verbum hoc, quod deerat in edd. Ursinus in vet. Cod. suo legi testatus est. Nemo fidem habuit; & tamen desiderabant omnes. Idem in duobus MSS. Vatic. repertum Broterius recepit, quem cum Ernestio sequimur.

ibid. l. 8. *Tributorum exactionem*) Vulg. *auctionem.* Sed Rhen. Muret. Lipsius, Acid. maluere *exactionem.* Broterius in Vatic. unius textu, in alterius margine scriptum invenit *exactione.* Nos rescribimus *exactionem;* neque enim de venditionibus publicis decimarum, aut de publicanis h. l. sermo esse potest, quippe quae ad Procuratoris negotia pertinebant, sed de annona in gratiam Legati & exercitus bellum agitantis a provincialibus exigi solita. Cf. Veget. III, 3.

ibid. l. 9. *Aequalitate munerum*) Acid. frustra maluit *aequitate.* Aequalitas munerum est ratio tribuendorum a provinciali-

bus & pretii a militibus reddendi aequalis. Etiam *officia* dicuntur *munera*.

ibid. l. 11. *Namque per ludibrium assidere clausis horreis, & emere ultro frumenta, ac vendere pretio cogebantur*) h. e. quamvis provinciales horrea haberent plena frugum; ex his tamen nihil proficiebant ad frumenti, quod imperatum erat, praestationem; cum, quod mox addit, frumentum *in remota & avia* comportandum imperaretur. Ita cogebantur ipsi a Decumanis hominibus insuper frumentum emere, h. e. eius loco tantum illis dare pecuniae, quantum poscerent; tum iisdem & redemtoribus, rursum fruges vendere pretio praescripto. Cf. notam sq. Si quid in hisce exponendis erraffe videbimur aliis, adeant per nos obscuriora magisque ambigua oracula interpretum; qui ipsi partim totum hunc locum laborare l. obscuritate l. morbo insanabili, queruntur.

ibid. l. 13. *Devortia itinerum, & longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota & avia referrent*) Lipsius hisce lucem affert ex Cic. in Verrem Act. III de frumento cap. 82. Scilicet hi, quibus indictum erat frumentum in remota & avia referendum, petierant ipsi primi, *in beneficii loco & gratiae, ut sibi pro frumento, quanti frumentum esset, dare liceret. Hinc consuetudo aestimationis introducta est, & secuti avariores magistratus viam quaestus invenerunt. Instituerunt semper ad ultima ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, ut vecturae difficultate, ad quam vellent aestimationem pervenirent.*

ibid. l. 16. *Quod omnibus in promtu erat*) Si ibidem frumenta mandata essent provincialibus, ubi habuissent.

ibid. l. 21. *Militum in agmine*) Sic Rhen. dedit pro *multum in agmine*, quod omnes secuti praeter Broterium, qui cum in MS. Vatic. invenisset *multus*, hoc ipsum reddidit, ita tamen ut *militum* adderet sic: *multus in agmine militum laud. mod.* Friget sane illud *multus*. Contenti igitur simus vulgata. *Milites in agmine* h. l. opponuntur *disiectis*.

ibid. l. 27. *Irritamenta pacis*) h. e. quae cupiditatem iniicerent pacis cum Rom. *Irritamentum* & *studium* Livio XXX, 11, promiscue adhibentur. Quinctil. I, 1, 26, *irritandae ad discendum infantiae gratia* &c. Ita non opus cum Acid. rescribere *invitamenta*.

ibid. l. 31. *Ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit*) Suspecta haec Lipsius praetermisit. Bernegg. ex-

plicat vulgatam: *ut nulla antehac ignota Romanis Britanniae pars exstiterit, quae non ex illis castellis, tanquam* ὁρμητηρίοις *bello lacesseretur.* Sed quis dixerit *ante nova* pro *antea ignota?* Omne *novum* fuit antea *incognitum.* Freinsh. legebat: *ut paulo ante Britanniae nova pars illacessita manserit*, hoc sensu, ut conservaret pacem ante vix notam. Sed haec est vis. I F. Gron. *nova* mutans in *nota* ineptit. Ernest. nihil sani affert ad h. l. Nos *ante* lenius mutamus in *arte: ut nulla arte Br. nova* (adiecta Rom. imperio) *pars illacessita* (non tentata) *transierit.*

Pag. 52. *l.* 3. *In bello faciles*) Sic edd. ante Rhen. qui primus omisit *in*, vel *in bellum* s. *in bella* legi voluit. Sed & Cic. de cl. Or. *in suum cuique tribuendo faciles in excogitando.* Tum *faciles* nobis est *facile parabiles*, *promti.*

ibid. l. 17. *Usque ad Taum*) *Tuedam* putant alii. Fluvii vero Tuedae ostium in Attadinis, hodie Northumberland, Angliam a Scotia determinavit, limesque Orientalis dicitur; quod ex Camdeno notat Virdungus.

Pag. 53. *l.* 7. *Quarta aestas obtinendis* &c.) Plenius redigendis, habendisque ut partibus Rom. imperii; & mox *percurrerat* est cum summa celeritate devicerat.

ibid. l. 10. *Clota & Bodotria*) Sic est in MSS. Vat. & ap. Ptolem. legitur *Clota*, eoque receptum Ernest. Vulg. *Glota.* Atque huic aestuario nomen a fluvio (nunc *Cluyd*) in Scotia, Glasguam urbem interfluente. Huic in orientali latere opponitur *Bodotria* (Ptolem. *Boderia*), qua parte insula angustissima est.

ibid. l. 11. *Per immensum revectae*) Sic edd. ante Rhen. qui mutavit in *revecti*, quod est vulg. Pichena tamen maluit *revectis.* Priscum *revectae*, quod ad aestuariorum nomina feminina refertur, restituit Ernest.

ibid. l. 19. *In spem magis*) Lipsius male coniecerat *speciem*, quod ob sqq. spernendum est.

ibid. l. 20. *Medio inter Britanniam*) scil. mari. *Medio* h. l. *intermedio*, & cave putes, aeque distante. Sic Germ. cap. 37: *medio tam longi aevi spatio.*

ibid. l. 24. *Nostri maris*) h. e. mediterranei, ut saepe ap. Sallust. aliosque.

ibid. l. 26. *Haud multum a Britannia differunt, nec in melius* &c.) Vulgo male haec distincta & manca leguntur: — *differunt. melius aditus — cogniti.* Sed edd. ante Rhen. *differt in melius ad.* &c. Inde Rhen. fecit — *differunt. Eius aditus*

&c. Danesius: *differt. Eius ad.* &c. Muretus *differunt in melius. Aditus* &c. Sed falsum foret, quod *in melius differre* dicuntur. Acid. verissime negationem, quae interciderat, supplet. Idque spirat mentem Taciti.

ibid. l. 30. *Saepe ex eo audivi*) An, *audivit?* quod rectius putem.

Pag. 54. *l.* 4. *Amplexus civitates*) Ita pro *amplas civitates*, quod Puteol. teste Ernest. dedit hodieque vulgatum est, Brotetius ex MS. Vatic. verissime restituit; nec tamen bene approbat ex Ann. XV, 59, *dum amplectitur Remp.* Ibi enim *amplecti* vim habet *tuendi, amandi, curandi.* Melius, credo, convenerit illud Cic. pro Milone c. 27, dum Remp. nimium amplecteretur, h. e. ambiret, ita, ut in se traheret totam unus. Sed Tacitus h. l. verbo isto ita utitur, ut Agricolam civitates illas exercituum, quasi serpentum, amplexu, simul terra, simul mari urgere valuisse. Cf. supra c. 17 *bello amplexus.* Eodem sensu & verbum *complecti* usurpatur. Sic Vellei. II, 51, de Caesare: *mox etiam obsidione munimentisque eum* (Pompeium) *complecteretur. Amplius* & *amplexus* inter se mixta a librariis, etiam Ann. XII, 56, suspicati sumus. Ceterum ineptias Criticorum, quas peperit vulgatum *amplas*, omittimus.

ibid. l. 10. *Bellum impelleretur*) Formam hanc loquendi sibi non cognitam, nec ab ullo interpretum illustratam dicit Ernest. putatque *inferretur*, l. *impingeretur.* Cave quidquam tentes. Et Lucanus V, 330, *impulsi tantum praemia belli* dicit, h. e. non *profligati*, quod putat Gesn. in Thes. sed *commissi*, quod est primum belli momentum. Vide, quae diximus ad Hist. II, 4, & III, 2.

ibid. l. 15. *Hinc auctus Oceanus*) Sic omnes edd. ante Pich. qui primus recepit ex coniectura Lipsii *victus;* alii vulgatam tuentur & exponunt *Rom. imp. adiectus.* Sed nondum debellatum erat. Nos credimus *auctum* (verbis) esse *Oceanum* eiusque pericula, uti illis *terra & hostes.* Eadem ratione adhibuit Ann. II, 82 init. eademque congruit *militari iactantiae;* cf. infra c. 39 init.

ibid. l. 22. *Oppugnare ultro castella adorsi*) Vulg. *oppugnasse ultro, castella adorti;* unde varie nugantur Critici. Nostrum Ursinus in vet. Cod. se invenisse testatur; aut si ab ipsius ingenio fluxit, bene processit emendatio. Similis locus Curtii III, 1, 6, *arcem — oppugnare adorsus;* ubi & MSS. flu-

ctuant, aliique *adortus* habent. *Adortus* est ab *adorior; adorsus* ab *adordior*, idem notante, quod simplex *ordior*.

Pag. 55. *l.* 9. *Ultro quin etiam irrupere*) Sic vulg. optimo sensu. Verbum ut saepius in MSS. corruptum in *erumpere;* conf. ad Hist. II, 71. Neque igitur Broterium h. l. sequimur, qui ex MS. Vatic. dedit *erupere*.

ibid. l. 14. *Cuius constantia*) Noli tentare cum Lipsio *conscientia;* quod & Acid. & Ernest. malunt. Nobis *victoria constans* est, quae non revolvitur in casus adversos, sed retinetur; unde rectius intelligas, quid sit *constantia* victoriae, quam ex iis, quae I. F. Gron. docte, sed inepte, ad h. l. congessit de *constantia*, virtute.

ibid. l. 18. *Atque illi modo cauti ac sapientes*) Qui *ignavi specie prudentium* contraria *admonuerant* cap. 25 extr.

ibid. l. 22. *Non virtute, sed occasione & arte usos, rati*) Vulgo *non virtute, sed occasione & arte ducis rati;* quae lectio male deficit verbo, a quo ablativi pendeant. Hinc editores & interpretes varie divinant. Rhen. parum feliciter: *irati* pro *rati*. Lipsius primum: *arte ducis victos rati;* nec apte omissum *se:* dein *arte ducis superati*. Nolimus vero vexare illud *rati*. Freinsh. malebat accusativos, *virtutem — occasionem & artem rati*. Sed *occasionem rati* rectius dicitur de re futura, quam de praeterita. Salinerius, alias parum acutus, verius tamen vidit, vocem *ducis* h. l. redundare, & pro eo restituit *victos*, sed & sic desideres *se*. Ac sane illud *ducis* postulasset ante *virtute militis*, quod *duci* responderet; ut H. II, 76, *nec Othonem quidem ducis arte, aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione victum*. Igitur tandem ipsi *ducis* corrigimus in *usos*, intell. Romanos. Sic ap. Vellei. II, 74: *usus Caesar virtute & fortuna suâ, Perusiam expugnavit*. Idemque verbum in cetera quadrat. Occasione & arte usi Romani, qui supervenerant victoribus Britannis, eosque a tergo insultabant. Cf. c. 26 init.

Pag. 56. *l.* 3. *Uno remigante*) Sic MS. Vatic. teste Broter. idque recipimus, quamvis Ernest. huic verbo male dicat. Pessime vero vulgata habet *remigrante*. Quam parum Latine sic dixisset pro *reverso*, (cum remigrasset) quivis videt. Tum duo tantum suspecti a cohorte interfecti. Tertius igitur unus superstes rexit remos, ut gubernator omnium & exemplum; quem secuti praevehebantur. Quomodo enim is *aufugere* potuisset?

ibid. l. 5. *Praevehebantur*) Vulgo *provehebantur*. Nostrum

eſt in MS. Vatic. placetque Broterio. Praevehebantur autem litori; cuius incolis miraculum id videbatur. *Praevehi* notat idem, quod *praetervehi.*

ibid. l. 14. *In noſtram uſque ripam*) h. e. ſiniſtra Rheni, quo Romana provincia protegebatur. Dextram vero ſuam tenebant Germani; cf. Hiſt. IV, 27 init. & V, 16 in fine.

ibid. l. 16. *Initio aeſtatis*) Int. ſequentis, poſtquam anni VI expeditione finita utrinque diſceſſum; vid. c. 27 extr. Septimus igitur h. l. incipit officii annus.

ibid. l. 18. *Ambitioſe*) Ut firmitudinem animi oſtentaret. Sic Tac. de Tiberio Ann. IV, 8.

ibid. l. 20. *Et in luctu bellum inter remedia erat*) Sic ipſe Tib. poſt filii mortem, *ſe fortiora ſolatia e complexu Reip. petiviſſe* ait; & cap. 13, *negotia pro ſolatiis accipiens*, Noſtro dicitur.

ibid. l. 25. *Grampium*) Hodie *Granzbaine.*

Pag. 57. *l.* 2. *Cruda — ſenectus*) Nondum exſanguis.

ibid. l. 4. *Nomine Calgacus*) Virdungus ex Cambdeno notat: *Hic* Galauc *apud Liennauc*, *Triadum libro*, *inter tres Britanniae heroës appellatur.*

ibid. l. 20. *Receſſus ipſe ac ſinus famae*) Quo remotior terra habitatur, hoc minor fama habitantium. *Sinus famae* eſt ultimum famae.

ibid. l. 22. *Sed nulla iam ultra gens, nihil niſi fluctus & ſaxa*) h. e. ſed nullum nobis ſupereſt effugium; nulla terra, quo concedamus.

ibid. l. 23. *Et infeſtiores Romani*) Sic coniecit Rhen. ex *inferiores*; & reperit Broter. in MS. Vatic. Sed Lipſius in ed. I dederat *interiores*; dubius tamen ipſe coniiciebat etiam *& ante fores*: in poſterioribus malebat *& iis* (fluctibus & ſaxis) *feriores.* Sed & alii poſt ipſum luſere inanem operam.

Pag. 58. *l.* 5. *Bona fortunaſque in tributum egerunt* &c.) Leguntur haec ſingulari felicitate a Rhenano reſtituta ex corruptiſſimis antea verbis: *bona fortuna quae in tributum agerat annus, in frumentum. c. i. a. m. ſ. a. p. verbera emuniendis inter a. c. c. Egerunt* vero eſt ab *egerere.* Et *annona* eſt frumentum exercitibus praeparatum ac ſubvectum; conf. Liv. XXVI, 20; & quae Noſter de frumenti exactione ſupra c. 19 dixit, ibique notata. *Annonam* autem dici de frumento, quod militibus pretio conſtituto tribuebatur, diſce ex Ann. XV, 72 init.

ibid. l. 9. *Britannia ſervitutem ſuam quotidie emit, quotidie*

pascit) *Emit* tributo, *pascit* frumento, quod praebebatur exercitibus.

ibid. l. 13. *Neque enim arva nobis* &c.) In Caledonia agentibus.

ibid. l. 19. *Trinobantes, femina duce*) Vulgo male *Brigantes*, quibuscum Boadiceae nulla societas fuit; sed cum Trinobantibus; cf. Ann. XIV, 31. Itaque nostrum, auctore Cambdeno, legi iussit Virdungus, recepitque Ernest.

ibid. l. 20. *Exurere coloniam*) Camulodunum; cf. l. c.

ibid. l. 22. *Et ii libertatem non in praesens tantum laturi*) Edd. priscae *&* *in libertatem non in praesentiam laturi*. Hinc Rhen. sinceram lectionem elicuisse se ratus, *& libertatem non in praesentia inlaturi*; addit: *Significat, prius ipsis libertatem fuisse, pro qua adipiscenda non erat opus pugnare, sed pro servanda*. In praesentia *dixit de futuro*. — Hoc ultimum quid sibi velit, non assequimur, nec quomodo absolute dicatur bene *libertatem inferre*. Et haec tamen Rhenani coniectura basis est vulgatae, nisi quod editur *in praesentia laturi*. Maluit Lipsius *& lib. non in praesenti ablaturi* l. *illaturi*. Alii aliter vexant locum; parum remedii afferunt. Itaque ipsi tentantes, subvenisse nobis videmur pro prisco *&* *in* (*i*) *lib*. rescribendo *& ii*, quod uti illud *iique* vehementiam reddit orationi; tum *non in praesentiam* emendando in *non in praesens tantum*, scil. sed & in posterum; quae Noster Hist. IV, 17 init. iungit. *Laturi* h. l. est *reportaturi*. Plana iam sunt omnia, in quibus omnes haesere.

ibid. l. 23. *Primo statim congressu nonne ostendemus*) Edd. ante Pich. — *congressu unde ostendamus*, absque interrogandi nota. Ex Danesii coniectura Pich. rescripsit, quod est vulg. *non ostendamus — ?* Placet tamen magis cum Lipsio, quod magis expleat vestigia vocis *unde*, rescribere *nonne*; cum praesertim sqq. per *an*, ut in altero membro, interrogetur. Sed & hoc alterum membrum a priori male distractum in diversa capita, coniungere nobis visum.

ibid. l. 26. *Nostris illi discessionibus*) Sic edd. vett. ante Pich. qui primus ex iudicio Rhenani aliorumque recepit *dissensionibus*. Nostrum notat diversitatem sententiarum; unde populis istis discedere, infectis rebus, solemne fere fuit.

ibid. l. 31. *Licet dominationi alienae sanguinem commodent*) Vulgo omisso τῷ *licet*, mox legitur *commodantes*. Nostrum ex ed. princ. restituit Ernest. itemque MS. Vatic. apud Broterium, quamvis cum mendo: *licet d. a. s. commendent*.

Beroaldus omisso *licet* dedit *commodent;* unde factum, quod vulgo legitur.

Pag. 59. *l.* 7. *Paucos numero*) Lipsius legit *numeros*, & accipit cohortes legionum. Idque rec. Pichena, hinc vulgatum. Nos revocamus antiquum, & accipimus *paucos*, qui sunt *numero*, seu in numero aliquo, in multis excellunt honore, pretio; conf. Corte ad Cic. Ep. ad div. I, 10, & Gesn. in Thes. Opponuntur autem *plerisque*, qui *extra numerum sunt*, ut Plautus ait Menaechm. I, 3, 1.

ibid. l. 10. *Dii*) Sic pro *alii* invenit Lips. & rec. Pich.

ibid. l. 17. *Senum coloniae*) Veteranos contemtim dicit *senes*.

ibid. l. 18. *Aegra municipia & discordantia*) Sic Cic. pro Mil. c. 25 iungit *Reip. partes aegras & labantes*.

ibid. l. 19. *Hic dux — ibi tributa*) *Hic*, apud nos, ut liberos; *ibi*, apud Rom.

ibid. l. 20. *Quas in aeternum perferre*) Sic MS. Vatic. Vulgo *proferre*, quod ad Romanos pertineret.

ibid. l. 28. *Munimentis coërcitum*) Sic Ursinus in vet. Cod. legi testatur; habetque MS. Vatic. ap. Broter. Vulgo male *monitis coërcitum*.

ead. Adhortatus) Vulg. corrupte *adhuc ratus;* in quo emendando varie aberrant Critici. Nostrum Grotio placuit, & absque eo in mentem venerat.

Pag. 60. *l.* 7. *Equidem saepe in agmine*) *Saepe* addidit ex MS. Vatic. Broterius, quem cum Ernest. sequimur, & ex eodem mox pro *vocem* receptum *voces*.

ibid. l. 10. *E latebris suis extrusi*) Sic vett. edd. sed in Lipsianam I mendo obrepsit *a latebris* &c. quod vulgo legitur.

ibid. l. 14. *In frontem*) Id quod primum est aggredientibus. Sic & dicitur *frons causae*, *prima frons* s. species.

ibid. l. 27. *Furto noctis aggressos*) Curt. IV, 13, 9: *Meae gloriae — furtum noctis obstare non patiar, palam luce aggredi certum est.* Itaque *furto noctis* h. l. est clam & noctu; l. uti Virg. IX, 397, *fraude noctis*. Alias *belli furta* dicuntur insidiae.

ibid. l. 28. *Ceterorum Britannorum fugacissimi*) Qui Calgaco supra c. 30 *nobilissimi* (servitutem sc. effugientes,) *eoque in ipsis penetralibus siti* &c.

ibid. l. 30. *Contra ruere*) Sic ex MS. Vatic. recepit Broterius. Et edd. ante Rhen. *ruere*, omisso *contra;* unde natum illud *robore*, quod vulgo male legitur, quasi consentiret τῷ *pelluntur*. Sed rectius *contra ruere* & *pelli* sunt contraria, uti

fortissimi f. *acerrimi*, & *pavidi* f. *ignavi*. Sic & dein: *non restiterunt*, *sed* &c.

Pag. 61. *l.* 2. *Quo modo tandem invenistis*) Vulgo incongrue: *quod tandem inv*. Nos emendamus *quod* in *quo modo*, & post verbum *invenistis* signum rogandi apponimus. An malit quis? *quos cum tandem invenistis; non restiterunt f. d. sunt*. Sed illud potius videtur.

ibid. l. 3. *Sed deprehensi sunt. novissime res, & extremo metu corpora defixere* &c.) Vulg. *sed depr. sunt novissimi: ideo extr. m. corpora defixere* &c. Sed haec lectio magis est ab editorum ingenio, quam ab edd. priscis & Codd. Ante Rhen. legebatur: *sed depr. sunt novissime, id & extr. metu corpora, defixere aciem in h. v.* Rhenanus correxit: *sed d. f. novissimi, & extr. metu corpora defixere* &c. Pich. dein illud *id &* emendavit in *ideo*, cetera secutus Rhenanum praeivit sequentibus. Sed nec sic persanatus locus videtur Ernestio, qui tentat: *f. d. sunt ignavissimi, & extr. metu torpidi defixere aciem in his v.* Broterius vero ex MS. Vat. edidit — *res & extr. m. corpora defixere*. Nos haec amplectimur, sed commodius distinguendo disiungimus *novissime*, quod prisce legitur, a prioribus, ut coniungatur *novissime res* (fortunas suas) *& extr. m.* An, pro *res &*, malis *velut?* Venerat quoque in mentem *f. d. sunt cervis similes, & e. m. corpora defixere*, (h. e. obstipi stant) *in his vest.* Sed noluimus in textu a MS. Vatic. abludere.

ibid. l. 6. *Transigite cum expeditionibus*) h. e. finite expeditiones.

ibid. l. 16. *Citra Romanum sanguinem bellanti*) h. e. si sine sanguine Rom. sed ipso provincialium sanguine provincias expugnaret. Contractus enim reliquus exercitus ex ipsis Britannis, Germanis & Gallis.

ibid. l. 19. *Editioribus locis constiterat*) Vulgo *constiterant*.

ibid. l. 21. *Media campi covinarius*) *Covinariis* nomen dedit *covinus*, (currus falcatus; cf. Liv. XXXVII, 41) vehiculi genus non Britannis solum, sed & Belgis ac Germanis usitatum. Vid. Pomp. Mela III, 6.

ibid. l. 31. *Brevibus cetris*) *Cetrae* erant scuta lorea, quibus & Hispani utebantur, inde *cetrati* dicebantur; iidem, qui *peltastae*.

Pag. 62. *l.* 8. *Complexum armorum*) h. e. arma, quibus cominus pugnabant Romani; *mucrones*, &, quibus hostes propellebantur, *umbones*.

ead. In aperto pugnam) Praeter rem Lipſ. coniecit *in operto*. Idem dein aſſenſit Franciſco Medicis, qui voluit *in arcto*. Pugna *in aperto* eſt, quae *in aequo* campo erat, ut ipſe mox addit. Eam non tolerabant Britanni; hinc iuga montium quaerebant pugnae, in quae decederent, ſi pulſi campo eſſent. Cf. Ann. XII, 33 & 35.

ibid. l. 10. *Et ſtratis*) Vulg. *tractis*. Sed MSS. fere eſt *tratis*; unde illud ortum. Noſtrum maluit Erneſtius; conf. Hiſt. III, 77 in princ.

ibid. l. 11. *Obſtiterant*) MS. Vatic. *adſtiterant*; ſed vulgatum aptius.

ibid. l. 16. *Fugere*) Verbum ſuſpectum Lipſio. Credit enim, equites etiam tum demum proelio mixtos fuiſſe; non iam fugere: ſed verbum requirens coniicit *effuſae*. Erneſtius malebat *erupere*. Quidni vero credas, equites receſſiſſe, ſed convinarios obſtitiſſe Romanis ſub collem?

ibid. l. 18. *Hoſtium agminibus*) Muretus putans intelligi Romanos coniicit *noſtrorum agm*. Probat Erneſt. & ipſe coniecit *cohortium*. Nos Britannorum agmina in clivo collis locata.

ibid. l. 19. *Minimeque equeſtris ea tum pugnae facies* &c.) Cave cum Pich. malis *pedeſtris*, quod pedites, equis & eſſedis impediti, pugnare ſuo more non poſſent. Si quid mutandum foret, placeret *aequalis* ob ſqq. Sic Hiſt. II, 42: *per locos — impeditos non una pugnae facies*. Corruptus autem locus in edd. ante Rhenan. ſic legebatur: *minimeque equeſtres. ea enim pugnae facies erat, cum aegra diu ſtantes* &c. Rhen. ex ingenio reſcripſit: *minimeque equeſtris ea pugnae facies erat; cum in gradu ſtantes* &c. Corruptiora haec videntur, & Pich. nil auſus. Itaque Broterio accedimus, qui ultima ex MS. Vatic. emendatius reddidit, *cum aegre* (vix) *diu ſtantes* &c. Nec vero nulla cura ſit τοῦ *enim*, quod Rhen. pro lubitu omiſerat. Illud quidem poſt unum alterumve verbum ſaepe interponitur, ut continuationi l. etiam parentheſi inſerviat; ſed & notat idem, quod *igitur*. At h. l. tamen audemus corrigere in *tum*.

Pag. 63. *l.* 4. *Sequi, vulnerare, capere*) Imitatur Salluſtium Iug. 101 extr.

ibid. l. 6. *Catervae armatorum*) *Catervas armatorum* mox dicit *agmina*.

ibid. l. 21. *Sed rari*) Vulgo omiſſum *ſed*, reſtituimus ex prioris vocis ultimo.

Pag. 64. *l.* 1. *Dein separare*) Sic, pro vulg. ante *sperare*, pulchre & vere Lipsius rescripsit; ut ubique respondeant sibi opposita. Firmat MS. Vatic. ap. Broter.

ibid. l. 6. *Secreti calles*) Sic rescribimus pro vulg. *colles;* a quo cum alienum sit *secreti*, Ernestius legendum putavit *deserti colles;* sed id redundat, ubi *vastum sil. sum. pr. tecta, nemo obvius*, dicuntur. Secreti calles iique obscuri, non patentes nec triti s. celebres, quibus in diversa effugerunt, incertae fugae conveniunt magis; cf. Virg. Aen. VI, 343, *secreti celant calles;* & IX, 383, *obscuri calles.*

ibid. l. 11. *In fines Horestorum*) Quos Cambdenus locat in Escia, (hodie *Eskdale*) supra Itunam fl. in cuius aestuario videtur tum classis fuisse. Cf. Cellar. N. A. L. II, c. 4, p. n. 432.

ibid. l. 18. *Trutulensem portum*) Qui fuerit, hodie decretum non est. Multi cum Rhen. Pancirolo, Pich. Cambdeno & Lipsio legendum volunt *Rhutupensem;* & intelligunt *Richborowgh* circa Sandovicum in Cantio, ut Savilius in h. l. & Rapinus in hist. Angl. L. I habent.

ead. Proximo latere) Pich. mavult *proximo litore;* & mox *omnis*, quod rec. Ernest.

ibid. l. 21. *Epistolis Agricolae auctum*) Sic Lipsius correxit pro *actum*. Rec. Pich.

ead. Ut Domitianus erat) Sic MS. Vatic. aliusque in margine. Vulgo autem *ut Domitiano moris erat;* quod interpretamentum videtur.

ibid. l. 23. *Falsum e Germania triumphum*) Cuius quidem non meminit Sueton. sed Dio L. LXVII Domit. Suggillat eum quoque Plin. Paneg. c. 11 & 14.

ibid. l. 29. *Frustra studia fori & civilium artium decus in silentium acta* &c.) Intelligas de ipso Domitiano sic ratiocinante, qui cum iuvenis *studium literarum simulasset, quo velaret animum, & fratris aemulationi subduceretur*, (cf. Hist. IV, 86 extr. & Suet. c. 2) teste Suet. c. 20 *liberalia studia in initio imperii neglexit: epistolas orationesque & edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis.* Lipsius ista de Agricola secum dixisse putans, mox pro *alius* coniecit *altius*, quod Pich. recepit; sed recte illud restituit Bernegg. quem secuti omnes.

Pag. 65. *l.* 1. *Facilius dissimulari*) h. e. sine molestia *conniveri* s. praeteriri; ut Ann. XV, 71 extr. *Atilla, mater Lucani, sine absolutione, sine supplicio dissimulata.*

ibid. l. 4. *Secreto suo satiatus*) Alludit auctor ad *secretum* illud *horarium*, de quo Sueton. c. 3; in quo muscas suppliciis persequebatur. Cf. & Dionem, Aurel. Vict. inprimis Plinium Paneg. 48 extr.

ibid. l. 10. *Additque insuper opinionem*) Sic Muret. & Acid. recte iubent pro vulg. *addique*. Inepte enim opinionem in Sctum inferri, aut spargi in publicum, iussum foret.

ibid. l. 13. *Et maioribus reservatam*) h. e. iis, qui excellerent patientia, gloria, & gratia Principis.

Pag. 66. *l.* 1. *Per ambitionem*) Habitum externum ad magnitudinem compositum, frequentiam amicorum & comitum, quos quis pascit splendoris causa.

ibid. l. 3. *Quaererent famam*) Velut amissam, quaererent; desiderarent; immutatum aliumque quam qui fuerit, crederent; cf. Quinctil. XII, 11, 2, *cavendum est* (oratori) *ne se quaerat priorem;* ibique notata a Burmanno.

ead. Pauci interpretarentur) Scil. quare celebritatem omiserit.

ibid. l. 20. *Cum inertia & formidine aliorum*) Vulg. male *eorum*, pro quo iam Grotius scribebat *ceterorum*.

ibid. l. 26. *In ipsam gloriam praeceps agebatur*) Scil. sibi periculosam; cap. sq. *famam fatumque*.

ibid. l. 28. *Occiso Civica nuper*) Suet. Domit. 10: *complures Senatores, & in his aliquot consulares, interemit; in quibus Civicam Cerealem in ipso Asiae proconsulatu.*

ead. Nec Agricolae consilium deerat) Scil. recusandi provinciam.

Pag. 67. *l.* 5. *Qui paratus simulationi*) Vulgo *simulatione;* unde Boxh. volebat: *paratus, simulatione in arr. comp.* Ern. *parata simulatione;* quae nihili sunt.

ibid. l. 7. *Nec erubuit beneficii invidia*) h. e. pro beneficio concessisse, quod invidiam tegeret. Sic Ann. VI, 23, Tiberius *consultus, an sepeliri sineret* (Agrippinam), *non erubuit permittere.* Idem (I, 1) conclamantibus Patribus, adulandi causa, *corpus* (Augusti) *ad rogum humeris Senatorum ferendum, remisit arroganti moderatione.* Aptum vero huc locum Senec. de Benef. IV, 17, excitat Pich. ex quo transcribimus paucula: *quis est, qui velit quoque iis videri beneficium dedisse, quos laesit? Gratias itaque agi sibi ab his, quos afflixere, patiuntur.*

ibid. l. 8. *Salarium — proconsulari solitum offerri*) Decies HS. sive XXV millia philippicorum; annotante Lipsio.

ibid. l. 22. *Reipublicae usum*) Sic invenit Mercerus ex

corrupta lectione *rei post usum;* ac firmat Urſinus ſua vel vet. Cod. auctoritate; rec. Pich. probante Lipſio. Temere obloquitur I. F. Gronov.

ibid. l. 26. *Hic alius agens populus*) Sic edd. omnes ante Rhen. qui primus edidit *aliud;* quod ſeqq. editores ſecuti, & nos antea dederamus. Iam praeferenda videtur antiquior lectio. Populus ſc. alius hoc in loco videbatur.

ibid. l. 31. *Nobis nihil comperti affirmare auſim*) Sic Rhen. dedit pro *vobis;* Acid. etiam deſiderabat *quod* poſt *comperti* inſerendum. Sed & ſic ſupereſt inaequalitas, quod in eodem dicto plur. *nobis* & ſing. *auſim* iungantur. Pich. vero ſimilem locum excitat Salluſtii Iug. 17: *de iis haud facile compertum narraverim.*

Pag. 68. *l.* 2. *Ex more Principis*) Sic Urſinus, Mur. & Acid. legunt pro *principatus.*

ibid. l. 3. *Et libertorum primi, & medicorum intimi*) Erneſt. obſervat, aptius ex tranſpoſitione epithetorum dici, *& lib. intimi & med. primi.*

ibid. l. 8. *Animo vultuque*) Animo ſcil. qui ex evento induitur, h. l. in triſtitiam flexo. Sic & Hiſt. I, 85: *Ut quemque nuntium fama attuliſſet, animum vultumque converſi.* Itaque nolis mutare cum I. F. Gron. in *mimo*, quod levius eſt; aut cum Erneſt. in *habitu vultuque.* Aeque facile veneris ad *oratione vultuque.*

ead. Securus iam odii) Non amplius timens odium eius, quem laeſiſſet.

ibid. l. 21. *Nihil ineptum in vultu*) Vulgo *nihil metus in vultu;* quo quid ineptius dici poteſt in deſcriptione *nativi vultus?* Sed Vatic. alter teſte Broterio *nihil impetus;* alter in contextu utramque lectionem coniungit. Inde invenimus noſtrum, *nihil ineptum* (*ἀνάρμοστον*) *in vultu*, & ſic convenit magis *gratia oris ſupererat.* Cicero illud etiam in laudibus oratoris ponit, quas ſibi paret, de Orat. II, 60: *Vultus, qui ſecundum vocem plurimum poteſt, quantam affert tum* dignitatem *tum* venuſtatem? *in quo cum effeceris, ne quid* ineptum *aut vultuoſum ſit, tum oculorum eſt quaedam magna moderatio.* Itaque Tacitus h. l. laudat nativam, quae in ore vultuque Agricolae fuit, non *dignitatem* modo, ſed & *gratiam. Dignitati* contrarium eſt *ineptum in vultu.*

Pag. 69. *l.* 2. *Nam ſicuti durare*) h. e. vivere. Acid. volebat mox *in hanc lucem.* Sed & ferimus vulgatum.

ibid. l. 3. *Quodam augurio*) Priſcae edd. pro *quodam* ha-

bent *quod;* sed id expunxit Rhen. ut infinitivi *durare — videre* haberent verbum, unde penderent, *ominabatur.* Ursinus retento *quod*, Cod. vet. fidem fictam praetendit coniecturae *nam sicuti magnae cuiusdam felicitatis est, durare.* Ernest. illo *quod* revocato scripsisse Tacitum non dubitat *nam sicut beatissimum, durare — videre, quod aug.* &c. Talia non ausimus, sed lenius *quod* emendando in *quodam* consulimus orationi, aeque ut Rhen. voluit, quem ceteri omnes sequuntur. Tum adiectio τοῦ *quodam* detrahit de nimio, quod Lipsio mirum visum est in praesagio Agricolae, cui nulla spes aut suspicio esse potuit de Traiano. Ominatus erat Agricola suis meliora tempora & Principem meliorem; qualem dein se praebuit Traianus. Scil. Noster blanditur huic Principi. Licet vero bonum blandiri bono. Malorum est adulari malum Principem. Sed & cf. Cic. Tusc. I, 234.

ibid. l. 4. *Apud nostras aures*) h. e. nobis, secreto.

ibid. l. 12. *Una adhuc victoria*) Nondum pluribus victoriis, quibus ille post Agricolae obitum carior Domitiano fuit. Victoria h. l. est ex accusatione viri clari; sed quis ille reus fuerit, incognitum.

ead. Carus Metius) Edd. ante Rhen. *charus;* quod ille ex Plin. Ep. VII, 19 & 27 mutavit in nomen *Carus.* Plinio enim dictus *Metius Carus;* sed nostrum potius lusisse in nomine credimus.

ibid. l. 13. *Intra Albanam arcem solam*) Vulgo *Albanam villam;* sed libri veteres *Alb. arcem vilam.* Rhenanus temere expunxit *arcem*, edidit tantum *villam.* Sed Albanum, villam (cf. Plin. Ep. IV, 11) potius a Tacito *arcem* dictam fuisse probat Lipsius ex Dionis compendio. Dicit: eum locum Domitianus habuit velut arcem, ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν. Adde, quod Asconius Ped. in Divin. Cic. dicit: *Arx vel sedes tyranni dicitur, ut saepe alibi; vel editus locus* &c. Maluit igitur Pich. *arcem nulla;* sed *nulla* precario & praeter verum sumsit. Satis *intra Albanum*, nondum in Senatu, *sententia* Catuli *Messalini* (de quo vide Plin. Ep. IV, 22) *strepebat*, velut incondite ac saeve clamantis. Itaque nobis recte videmur *vilam* emendasse in *solam.*

ibid. l. 14. *Massa Bebius iam tum reus erat*) De quo postea, accusantibus Baeticis, damnato, vide Plin. VII, Ep. 33 ad ipsum Tacitum.

ibid. l. 16. *Maurici*) Iunii Maurici in exsilium acti a Do-

mit. sed a Nerva Principe revocati. Cf. Plin. I, Ep. 5, n. 10, & Ep. 14. IV, 22.

ead. Rusticique) Iunius Rusticus Arulenus, supra c. 2 memoratus. Plinius III, Ep. 11: *septem amicis meis aut occisis aut relegatis* (occisis *Senecione*, *Rustico*, *Helvidio*; *relegatis Maurico*, *Gratilla*, *Arria*, *Fannia*).

ead. Divisus) Vulgo *visus*. Lipsius inquit: *scriptum apud me fidei fluxae. Quo enim illud* visus? *Nec melius tamen video: aut potius in sententiola hac nihil video. Viri ipsi mihi notiores.* Atque horum virorum notitia viam munit emendandi. Mauricus nimirum & Rusticus unicum par fratrum erat; quorum ille relegatus, at hic occisus est. Patet hinc *divisus* s. distractio fratrum, tanquam corporis unius in duo membra. *Divisus* vero est vox Liviana; cf. Liv. XLV, 30, & XXXIII, 46; notatque *distractionem tanquam animalium in artus, alterum alterius indigentes.* Iam vide, quam haec vox congruat; melius certe, quam quod Acid. voluit *casus*. Mauricus non cum fratre passus erat fatum, sed exsilium tantum. Ursinus vero ineptissime faciebat *nos Mauricum Rusticumque divisimus*, h. e. iussimus alterum exsulare, alterum interfici; & tamen ei adstipulatur Broterius.

ead. Nos innocenti sanguine Senecio perfudit) Uti Cic. ad Attic. VIII, 6, *me horror perfudit*; ita h. l. divisus fratrum coniunctissimorum violentus & Senecio sanguine suo.

ibid. l. 20. *Cum suspiria nostra subscriberentur*) A speculatoribus clanculum annotarentur, qui gemitu suo Principis saevitiam quasi incusarent; cf. Suet. Aug. c. 27, & Nostrum Ann. VI, 10 & 19.

ibid. l. 22. *Quo se contra pudorem muniebat*) Vulg. *a quo.* Lipsio iubente delent praepos. Ernest. & Broter. An intercidit ex prioris vocis fine *oris*, *quo se* &c. Plinius Paneg. 48 extr. de Domit. *Ad haec ipse occursu quoque visu terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in* ore *impudentia multo* rubore *suffusa.*

ibid. l. 24. *Opportunitate mortis*) Vulgo male ab his disjunguntur sqq.

ibid. l. 26. *Tanquam pro virili portione innocentiam Principi donares*) Id est, ut Pich. exponit, tanquam pro tua parte Principem innocentem pronuntiares. Credebatur enim iussu Principis veneno interceptus esse, cap. 43.

ibid. l. 28. *Sed mihi filiaeque*) Int. tuae.

Pag. 70. *l.* 3. *Ante quadriennium*) Bene Pich. monet, Ta-

citum cum uxore quadriennio abfuisse ante Agricolae decessum. Lipsius falso collegerat, Tacitum hanc vitam scripsisse quarto post mortem soceri anno.

ibid. l. 5. *Honori tuo*) Honori sepulturae nil omnino defuit, quod pietas iuberet, praeter laudationis ab ipso genero dicendae officium. Hinc pauciores lacrimae.

ibid. l. 13. *Admiratione te potius quam*) Vulgo deest *quam*, quod ab aliis desideratum inserimus. Admiratio hominum divinorum, virtutum aeternarum, sit perpetua. Temporales laudes, quales habet laudatio, cito cum ipsis solemnibus transiturae sunt. Ita non opus est ancipite aliorum medicina, quam h. l. afferunt.

ibid. l. 14. *Temporalibus laudibus*) Cf. dicta Cic. Tusc. I, 34, & quod ibi laudat Ennii epitaphium: *Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu Faxit. cur? volito vivu' per ora virum.*

ibid. l. 15. *Aemulatione decoremus*) Vulgo corrupte *militum decoramus*: in quo corrigendo varie exercentur Critici. Ursinus ex vet. Codice locum mancum profert *admiratione potius, quam aemulatione decoremus*; ac dein ex suo ingenio supplet, quae spernenda putamus. Mercerus vult: *simili vita* l. *imitatu decoremus.* Grotius: *similitudine* aut *imitatione decoremus.* Broterius igitur recepit *similitudine decoremus.* Secutus quoque Ernestius, nisi quod dedit *decorabimus*, quod minus modestum videtur, quam *decoremus.* Nos vero *aemulatione* praeferimus. *Aemulatio* enim virtutis, quae laudis est (cf. Cic. Tusc. IV, c. 8,) & ipse est honos, iis, quos nobis ad imitandum proponimus, adhibitus. Aemulatio autem bona est imitatio accensa admiratione. Sic Vellei. I, 17: *Alit autem aemulatio ingenia; & nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit.*

ibid. l. 19. *Formamque ac figuram*) Vulg. vitiose *famamque*; quod pridem Acid. correxerat; sed mendum retinuere edd.

IN DIALOGUM DE ORATORIBUS.

Pag. 79. *c.* 1. *l.* 1. *Iuste Fabi*) Hunc Fabium Iustum amicum etiam minoris Plinii fuisse, ex lib. I, Epist. 11, & lib. VII, Ep. 2, intelligimus. Desideranti Fabio nova scripta Plinii, hic rescribit, se ipsi aliquid ex nugis suis exhibiturum. Nec ille contentus fuit eloquentia seculi sui; cf. Epist. I, 5; sed mirabatur antiquos, VI, 21.

ibid. l. 3. *Nostra potissimum aetas deserta*) Int. *ab oratorum ingeniis gloriaque.* Alii vexant locum. C. S. Schurzfleischius in animadv. ad hunc Dial. (in actis liter. a fratre editis Vitemb. 1714) rescribebat *diserta, at laude orb.* & sic Broter. edidit. Heumannus vero pro *deserta & audacter* rescribit *pristina.*

ibid. l. 19. *Vel easdem* &c.) Heum. temere mutat *nec eas improbabiles.* Sed Aper & Maternus diversa, Maternus & Messala idem sentient.

Pag. 80. *l.* 17. *Et arcana semotae dictionis*) Quis ferat Heumannum, rescribentem *& arcanas etiam dictiones* &c. Sed is ubique insultat sine libris.

Pag. 81. *l.* 16. *Curarum studiis*) Sic omnes ante Pich. qui primus recepit e coniectura Lipsii *causarum stud.* Sed *curae* h. l. significantur, quae sunt *patroni causarum*; s. uti mox dicitur *advocationes.* Sic dicuntur *curae principales, consulares,* aliaeque; quas officium postulat. Infra ipse scriptor c. 6 in fine distinguit *meditatam orationem* &c. *novam & recentem curam.*

Pag. 82. *l.* 3. *Causarum angustiis*) Sic ex MSS. Vatic. recepit Brot. pro vulg. *Musarum angustiis.* Cicero quidem in Oratore forenses causas *agrestioribus Musis* relictas a philosophis inquit; & ab illis diversas *mansuetiores Musas* facit, Ep. ad fam. I, 9; sed vincant h. l. MSS.

ibid. l. 9. *Ut in his cognitionibus se excusent*) Omissum in vulgg. *se* cum Broter. recipimus.

ibid. l. 13. *Saleium Bassum*) De quo vide Quinctil. X, 1.

ibid. l. 19. *At ego enim*) Quod in priscis est *&*, ex Pithoei, qui sqq. pulcherrime correxit, iudicio a Pich. omissum, in *At — enim* corrigimus, quod inserviat correctioni; uti illud, quod sequitur: *sed &.*

Pag. 83. *l.* 17. *Helvidii sapientiam elusit*) Conf. Tacitum Hist. IV, 6.

ibid. l. 18. *Cui parti*) Hanc, pro vetere & vulgata lectione *cum praesertim*, novam Lipsii, sed a Pich. repudiatam, I. F. Gronov. monente recepit Ernest. eaque & nobis placet, ut verior.

Pag. 85. *l.* 3. *Tum habere, quod, si non in suo oritur* &c.) Vulg. *tum abire; quod si non in alio oritur* &c. Locum varie tentant Critici, sed infeliciter. Nos, quod plerique divinarunt *habere* pro *abire*, recipimus; sed illud *alio* in *suo* (h. e. proprio, scil. fundo, ingenio naturali, non mixto

alienis) emendamus. Dici etiam potuit, *quod in ſuo, non in alieno oritur* &c. Sed illud elegantius & modeſtius dictum. Conf. cap. 6 extr. Io. Ad. Nodell in Obſſ. critt. libello, Campae 1781 edito, coniicit: *tum habere, quod non in aula oritur* &c.

ibid. l. 4. *Nec codicillis datur*) Quod vulgo inferitur *in*, abeſt a MSS. Vatic. ap. Broter.

ibid. l. 9. *Modo rectior indoles*) Broterius ex MSS. Vatic. *modo recta & ind.* Vulgo, *quibus morum indoles eſt* &c.

ibid. l. 19. *Criſpum Vibium*) De quo vid. Tacitum Hiſt. IV, c. 1 extr. & 43.

ead. Novis & recentibus) *Nova*, quae proxime evenere; *recentia*, quae nunc vigere coeperunt. Sic & iungitur *vetus*, quod diu ante fuit; *antiquum*, quod olim obtinebat, uſitatum aut tritum.

ibid. l. 21. *Non minoris eſſe*) Vulg. *non minus eſſe*. Lipſius adſtruit *notos*. Noſtrum invenit Schurzfleiſch.

ibid. l. 23. *Nec hoc illis ſaltem ter millies ſeſtertium praeſtat* &c.) Locum corruptum, qualem edd. omnes habent, certe non corruptiorem damus, ſed intelligibilem reddimus. Sic autem vulgo: *nec hoc illis alterius ter millies ſeſtertium praeſtat, quamquam — veniſſe. Ipſa eloq.* Lipſius inde ſic ſcribens & diſtinguens: *nec hoc illis alterius ter millies, alterius bis millies HS. praeſtat* (*quamquam — beneficio perveniſſe*) *ſed ipſa eloq.* audet incerta de numero, neque vim τοῦ *praeſtat* percepit; unde intrudit *ſed*, quod Erneſt. recepit. Broterius ex coni. Huetii recepit *illi alterive*. Alii aliter tentant. Nos primum parentheſin iam a Lipſio bene viſam recipimus, tum quae male interpuncta erant, coniungimus: *nec hoc illis* (Eprio & Criſpo) — *ſeſtertium praeſtat* (h. e. potius eſt) — *ipſa eloq.* (h. e. quam ipſa eloq.) Dicitur autem *hoc — ter millies ſeſtertium* ita, ut *ſeſtertium* adiect. neutrum habeatur, & intelligatur *pondo*; quod pridem docuit I. F. Gronov. de pec. vet. Tandem illud *alterius* in *ſaltem* corrigimus. Sic ſaltim definitio numeri ita ambigua fit, ut ad utrumque numerus referri queat.

Pag. 86. *l.* 12. *Patientiſſimus vir*) Sic edd. ante Lipſium omnes, rectius, quam quod ille dedit *patientiſſimus veri*.

Pag. 87. *l.* 21. *Praecepta*) Schelius mavult *praecerpta*. Sed *praecepta* ſ. ante (feſtinantius) capta probari debet.

Pag. 89. *l.* 10. *Offendini*) Vulg. *offendere*. Pithoeus corrigit *offenſis*, idque probat Schurzfleiſch. Acid. *offenſae* probat

Erneſt. Nos propius putamus *offendini*, h. e. offenſioni; ut apud Nonium eſt.

ibid. l. 16. *At tu meditatus*) Ex edit. Riviana revocamus, quod in vulg. omiſſum, *At tu.*

ibid. l. 18. *Hinc ingentes — hinc in ipſis*) MSS. Vatic. *hic ing. — hic in i.*

ibid. l. 19. *Exſiſtere aſſenſus*) Vulgo *ex his aſſenſus;* quod correxit in noſtrum Acid. Deeſt enim verbum; & *hinc* atque *ex his* idem notant.

Pag. 90. *l.* 9. *Vatinii*) Sic Gronovius emendavit corruptum *vaticinii:* cui cum Broter. & Erneſt. paremus. Conf. Tac. XV, 34.

ibid. l. 17. *Melius innocentia tueor*) Qua ab accuſandis aliis aut delationibus abſtineo. Sordida erant ad famam accuſatorum nomina; & Tac. Hiſt. IV, 9, Publium Celerem, ob delationem Bareae accuſatum *vilem & nocentem reum* vocat. *Eloquentia* mox intelligitur accuſatoria, qualis illa Marc. Eprii & Criſpi Vibii fuit.

ibid. l. 27. *Hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus*) Int. eloquentia. *Commoda* h. l. idem notat, quod *utilis, opportuna.* Male igitur alii tentant.

ibid. l. 30. *Sanguinantis*) Lege *ſanguinariae*, ut ap. Plin. IV, Ep. 22 de Catullo Meſſallino.

ead. Sanguinantis eloquentiae) Qua delatores utuntur, contraria *innocenti* eloquentiae, quae innocentibus patrocinium praebet.

Pag. 91. *l.* 4. *Poëtis & vatibus abundabat*) Sic e MSS. Vatt. dedere Bro. & Erneſt. pro *abundat.*

ibid. l. 20. *Varii Thyeſtes*) Quinctil. X, 1, 98: *Iam Varii* Thyeſtes *cuilibet Graecorum comparari poteſt.*

ibid. l. 21. *Illud felix contubernium*) Nemora, lucos & ſecretum, in quo ſecum, & cum Diis, heroibus, vivat.

Pag. 92. *l.* 1. *Afro Domitio*) Quem laudat Tac. Ann. XIV, 19; ubi cf. not. De Pomponio Secundo, tragico, vide Quinctil. X, 1, 98.

ibid. l. 6. *Quibus praeſtant*) h. e. quos antecellunt.

ibid. l. 17. *Teſtamentum pro pignore ſcribam*) h. e. ſecuritatis cauſa, meis heredibus adſcribendo libertos Principum, aliosque potentes.

ibid. l. 19. *Quandocunque fatalis & meus dies veniet*) *Meus dies* ad naturalem mortem refertur.

ibid. l. 22. *Nec conſulat quiſquam, nec roget*) *Conſulat*, ad

Senatum referat; *roget* Principem, an liceret mortuis titulos, lapides ponere.

ibid. l. 24. *Vipstanus Messala*) Sic Ryckius dedit pro *Vipsanius*, quod Lipsius dederat pro corrupto *Urbanus*. Sed ed. Veneta Rivii *Vipsanus*.

Pag. 93. *l.* 5. *Et poëtarum quam oratorum*) Copulam *&*, quae deerat, Broter. ex MSS. Vatt. addidit.

ibid. l. 7. *Me vero, inquit*) Int. *Messala*.

ibid. l. 27. *Fratris tui eloquentiae*) Aquilii Reguli, oratoris nocentissimi; cf. Tac. Hist. IV, 42 init.

Pag. 94. *l.* 1. *Neque illius, inquit*) Int. *Messala*.

ead. Sermonis mei) Illius, credo, de quo Tac. l. c. *Magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam Vipstanus Messala adeptus est, nondum senatoria aetate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari.*

ibid. l. 8. *Solatio est*) Sic vulg. Sed Acid. legit *solutio est*; idque probat Schurzfl. & rec. Broter. frustra.

ibid. l. 10. *Nicetes*) Nomen hoc, pro quo legebatur olim *enitet*, Lipsius invenit ex Plin. VI, Ep. 6. Fuerat ille Plinii iun. praeceptor.

ibid. l. 11. *Contentus scholasticorum clamoribus*) Freinshem. vult *continuis scholasticorum cl.* Ernest. dedit *contentis*. Nostrum iam ante Lips. legitur, & est vulgatum.

Pag. 95. *l.* 3. *Significatione ista determinetis*) Sic Lipsius correxit pro *signatione* (quod edd. priscae habent) & sic quoque e MSS. Vatic. rec. Broter. postquam Pich. (quem & sequitur Ernest.) non bene revocavit *signatione*. Quaeritur, quam vim habeat vox *antiqui*. Et haec vis ostenditur ex annorum determinatione.

ibid. l. 6. *CCC annis*) Vulgo *CC*. Sed nostrum habent MSS. Vatic. vero propius. A Troia capta ad VI Vesp. annum, quo habitus hic sermo, fere anni MCCLXVII; cf. Vellei. I, c. 8.

ibid. l. 11. *CCCC annos*) Olim *CCC*; sed Merc. & Lips. correxere in *CCCC*; quod rec. Pich. A morte Demosthenis tum intercesserat *CCCXCVII*.

ibid. l. 17. *Si, ut Cicero*) Ed. princ. *sicut Cic.* Puteol. correxit *si sicut*, quod vulg. Sed Broter. & Ern. ex MSS. Vatt. nostrum edidere.

ibid. l. 19. *Cum maxime*) Alii praeferunt h. l. & infra 37 init. *nunc maxime*, quod idem notet ac *nunc ipsum*, hoc ipso tempore.

ibid. l. 20. *XII MDCCCCLIV*) Vulg. *XII MDCCCLIV.* Sed veriorem numerum demonstratum a Pithoeo & in fragm. Hortensii expressum recepit quoque h. l. Heumann. & Ernestius.

ibid. l. 21. *Complectitur*) Observamus quoque, annum vertentem siderum omnium, quem & magnum Platonicum vocant, ex Astronomorum ratione esse 25920 annorum, (qui numerus etiam periodo quadam Indica 144 annorum, & Tartarica 180 annorum in se ductis oritur); qui numerus dimidiatus est 12960, fere conveniens cum hoc, qui ap. Cic. in Hort. legitur.

ibid. l. 22. *Non solum eodem anno*) Vox *eodem* in edd. ante Lipsium, (ut in illa Francof. 1542) omissa, ex vetustis & ex MSS. Vatic. ap. Broter. restituenda.

ibid. l. 23. *Sed fere eodem mense*) Annus enim magnus ἀναλόγως, ut annus solaris, in menses & dies dividebatur; supersunt tamen h. l. difficultates, quarum solutio nulla est probabilis. Neque nobis otium est tentare.

ibid. l. 24. *Exstitisse*) *Incipit exstitisse* suspectum Ernest. Verum & aliis dicitur *ingredi iter incipio;* & supra *ingredi famam auspicatus.*

ibid. l. 28. *Coelium*) M. Coelius Rufus, Tullianae eloquentiae alumnus; cuius sunt Epp. ad Cic. L. VIII ad div. de quo vide P. Manutius ad Epp.

ead. Calvum) C. Licinius Calvus, Orator; cf. de eo iudicium Cic. in Bruto, & A. Schottum inter Decl. ap. Senecam.

ead. Brutum) Brutus, cuius nomen praefert Ciceronis liber de cl. Oratt. & ad quem scripsit Oratorem.

ead. Asinium) Asinius Pollio, de quo conf. P. Man. ad Cic. Ep. ad div. X, 31.

ibid. l. 29. *Messalam*) M. Val. Mess. de quo vide iudicium Cic. in Bruto c. 70, s. 246.

Pag. 96. *l.* 14. *Ei pugnae*) Vulg. *& pugnae.*

ibid. l. 15. *Britannis*) Vulg. *Britanniae.*

ibid. l. 21. *Plerosque senes*) h. e. *plures.* Nec tentes vocem.

Pag. 97. *l.* 3. *Vocaverimus*) Sic Broter. ex MSS. Vatic. dedit pro *vocaremus.*

ibid. l. 5. *In nulla parte esset*) Sic MSS. Vatic. Vulgo *non esset* Iam Muret. ex Cod. legebat: *utinam ne in illa parte* &c.

ibid. l. 8. *Formas quoque & genera dicendi*) *Quoque* vulgo abest; sed est in MSS. Vatt.

ibid. l. 9. *Sic Catoni*) Vulgo male *sicut Catoni.* Nostrum est in MSS. Vatt.

ibid. l. 20. *Porcio Catone*) Vulg. *pro Catone;* quod Groslotius emendavit in *prae;* Ern. l. *pro*, l. *magis* delendum cenfet. Nos emendamus in noftrum. Erat enim ille princeps *Porciae* gentis.

ibid. l. 23. *Sed fupra modum*) *Sed* e MSS. Vatt. redditum.

ibid. l. 24. *Parum Atticus*) Ante Lipfium *parum antiquus.* Is correxit in *Atticus*, quod rec. Pich. Cf. Quinctil. XII, 10, 12: *At M. Tullium — quem tamen & fuorum homines temporum inceffere audebant, ut tumidiorem & Afianum, & redundantem & in repetitionibus nimium, & in falibus aliquando frigidum, & in compofitione fractum, exfultantem, ac paene (quod procul abfit) viro molliorem.* Cf. & l. c. § 16 fq.

ibid. l. 29. *Disiunctum*) An *difcinctum?*

Pag. 98. *l.* 1. *Tanquam fractum atque elumbem*) Cf. Quinctil. XII, 1, 22.

ibid. l. 4. *Nam quatenus antiquorum admiratores*) Quatenus h. l. eft *quoniam* f. *quandoquidem.* Haerent alii fruftra in fqq.

ibid. l. 6. *Caffium Severum*) De quo vide Tac. Ann. I, 72; maxime vero IV, 21 extr. Quinctil. X, 1, 116 fq. & Sen. Epit. III contr. praef. Broterius lectionem turbat.

ibid. l. 10. *Et intellectu*) Intelligentia; ut paffim ap. Tacitum, Quinctil. &c. Cf. Noftrum Ann. VI, 36: *Quibus neque boni intellectus* (h. e. intelligentia, fenfus) *neque mali cura.*

ibid. l. 19. *Argumentorum gradus*) Lipfius mallet *arg. genera.*

ibid. l. 28. *Cum vix in corona*) Vulg. *cortina*, quod exponunt: in loco fubfelliorum iuxta tribunal. Sed alii pridem voluere noftrum; idque rec. C. A. Heumannus, probante Gefnero.

Pag. 99. *l.* 10. *Quis quinque in Verrem libros exfpectabit*) Sic MSS. Vatt. Vulg. *exfpectaverit?*

ibid. l. 12. *Quae pro M. Tullio*) Quae in deperditis hodie eft. Iac. Nic. Loenfis in Epiphyll. refcribit *M. Caelio;* fed vulgatam tuetur Pithoeus e Curio Fortunatiano L. 2 Rhetor. fchol. Addit Schurzfleifch. ex Macrobio de differ. & foc. verbi Gr. & Lat. de perfecto: *Explico*, *explicui*, quia *plico*, *plicui*, fed Cicero pro Tullio *explicavi.* Sed Gell. I, 7 extr. hoc perfectum laudat ex Cic. pro L. Manil. c. 11.

ibid. l. 21. *In fcena Rofcii*) Q. Rofcii comoedi, qui Ciceronis praeceptor fuit in pronuntiatione & geftu; & ab eodem defenfus in caufa pecuniaria.

ead. Turpionis Ambivii) Qui plerafque fabb. Terent. egit; cf. Cic. de Sen. c. 14.

ibid. l. 27. *Sive in fuis aliquis*) Inter fuos, quos fectan-

tur. An cum Mureto Acid. & Freinsh. pro *in suis* malis *sensus?* quos a sententiis sic distinguit Quinctil. VIII, 5: *Sed consuetudo iam tenuit, ut mente concepta* sensus *vocaremus; lumina autem praecipueque in clausulis posita* sententias. Schurzfleischius vero inscite tentat *insciis* h. e. imparatis — *aliquid.*

ibid. l. 30. *Non Attii aut Pacuvii veterno*) h. e. obsoleta vetustate.

Pag. 100. *l.* 9. *Equidem fateor*) Sic ed. Veneta Rivii. Vulgo *fatebor.*

ibid. l. 11. *Vix somnum tenere*) h. e. continere, cohibere, uti apud Cic. de clar. Orat. s. 277.

ead. Nec unum de populo) *Unus de populo* opponitur *existimatori docto & intelligenti* a Cic. in Bruto c. 93 s. 320; & c. 53 s. 198. Sed sqq. admodum restituisse nobis videmur. Vulgo enim fracte a Puteol. sic leguntur: *Canuti aut Aride Furnio & Toranio quique alios in eodem v. h. o. & h. m. probant.* In quibus emendandis defecere editores. Lipsius tamen ex Cod. Farn. propiora nobis vestigia profert: *Canuti aut Atti de Furnio & Coranio alios in eod.* &c. In P. *Canutio* quidem omnes consentiunt, qui Ciceroni aequalis ab ipso dicitur *homo disertissimus*, scripsitque orationes P. Sulpicii, certe post eius mortem; cf. Cic. in Bruto c. 56 s. 205. *Q. Arrius,* quem vulgo ex vestigiis Puteol. obscurioribus eruunt, parum probatus ipsi Cicer. l. c. cap. 69 s. 242, minus nobis placet, quam *T. Attius*, cui ipse Cic. pro A. Cluentio respondit, Orator accurate & copiose loquens, idemque *ex inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagorae disciplina*, quam & Aper supra cap. 19 *ariditatis* arguerat; cf. Cic. l. c. cap. 78 s. 277. *C. Furnium*, Cic. amicum nobilemque patronum novimus ex Cic. ad ipsum Epist. X, 26. Ex *Coranio*, (neque enim *Coranium*, neque *Toranium* inter Oratores quisquam novit) invenimus *Curionem;* qui quamquam naturam habuerit admirabilem ad dicendum, superatus a Calvo (mox nominato) est eruditione & exquisito dicendi genere, iudice ipso Cic. Brut. c. 81 & 82. Tum pro *alios* legimus *aliis — probant.* Sic melius respondet: *ipse mihi Calvus* (illis tamen excellentior) *non satisfacit.* Causa corruptionis nata videtur ex eo, quod primi editores non viderent, disiunctivis particulis etiam vim copulandi inesse; iungique sic *aut — vel — vel*; uti ap. Tac. H. II, 76, *aut — vel.*

ibid. l. 13. *Haec ossa*) Amplius Noster hac metaphora utitur in fine capitis. Confer Quinctil. I, prooem. 24. Sic

& Stoici *ossa nudare* dicuntur apud Cicer. de fin. IV, 3.

ibid. l. 18. *In Asitium*) Lipsius dubitat, an *Asinium?* Muretus in suo Cod. legit *Ascitium.* Sed Schurzfl. ex Charisio L. II probat *Fuscinium;* in quem ambitus reum Lic. Calvus dixerit.

ibid. l. 20. *In Vatinium inscribuntur*) Sic Lipsius & Pich. pro *conscribuntur;* sed Schurzfl. vult *conscriptae sunt.*

ibid. l. 25. *Sed ingenium ac vires defuisse*) Alia iudicat Quinctil. X, 1, 115.

ibid. l. 27. *Sive in universa parte factum*) MS. Lipsio teste *sive universa parte ferum.* Hinc nobis placet *si non universae, partim earum;* quem fere in modum voluere Modius & Schelius; cf. Ter. Hec. prol. v. 14, & Gellius X, 13. Broterius legit: *si non universae, at partes earum, in q.*

Pag. 101. *l.* 4. *Minus eloquentia effecerit, quam divinum eius ingenium postulabat*) Sed audi Quinctil. X, 1, 114.

ibid. l. 6. *Brutum philosophiae suae relinquamus*) Cf. Quinctil. l. c. n. 123.

ibid. l. 11. *Nisi qui & carmina eorundem miratur*) Schurzfl. coniicit: *sunt qui & c. e. mirentur.*

ibid. l. 16. *Inter Menenios & Appios studuisse*) Cf. Quinctil. l. c. n. 113.

ibid. l. 23. *Ipsosque nervos*) Sic Broter. e MSS. Vatt. melius pro *ipsos quoque nervos;* iamque Schurzfl. voluit.

ibid. l. 27. *Viderimus inquam iudicio*) Lego: *viderint Musae quam s. in quantum iud.* &c.

Pag. 102. *l.* 4. *Locos quoque laetiores*) Sic MSS. Vatic. Vulgo *locosque laet.*

ibid. l. 9. *Discendi genus*) Sic Ursinus pro vulg. *dicendi gen.* & Ernest. recipere voluit; sed operae non paruere. Si *dicendi* scriptum fuerit, corrigendum mox videtur *est* in *esset.* Sed Acid. censet, sic *est* recte dici ad sententiae veritatem.

ibid. l. 13. *Apte & cum quodam lumine*) MS. *optet cum q. l.* unde vulgo fracte dant *opt. & cum;* quamquam Acid. & Freinsh. Schurzfleisch. verum viderint *apte & cum;* quod cum Ernest. reddimus.

ibid. l. 18. *Ac lautum patrem familiae*) Vulg. *ac laudatum p. f.* Nostrum Lipsio decretum est, & Ernestio probatur.

ibid. l. 24. *Adspicere saepius libeat*) Vulgo *liceat*, sed Rud. Agric. legit nostrum, quod Lipsio placet; & est quoque in ed. Rom. Modio inspecta, Riviique Veneta.

ibid. l. 31. *Rotam fortunae*) Cf. Cic. in Pis. c. 10.

ead. Ius Verrinum) Cf. L. I in Verrem, cap. 46 extr. Sed

ipse Cic. haec non probat ab aliis dicta. Cf. Quinct. VI, 3, 55.

Pag. 103. *l.* 5. *Genus hominum signasse*) MS. Vat. *significasse*. Sed illud verbum aptius.

ibid. l. 16. *Sanitatem, non firmitate, sed ieiunio*) Puteol. dederat *sanitatem sed ieiunio*; unde discessit Lips. faciens *sanitatem infirmitate & ieiunio*. Sed quem ipse citat librum veterem, habebat *sanitatem infirmitatem, sed ieiunio*. Et Rud. Agric. legebat *sanitatem, non infirmitate, sed iei.* Multo rectius illud emendavit Schelius in nostrum, quod & rec. Broterius. Atque huic lectioni favent sqq.

ibid. l. 18. *Quae animi anxietate contingit*) Ed. Rivii & Puteol. *q. a. anxietati confixit*. Pithoei Codex — *confinis est*. Edit. Francof. 1542 *confinis sit*. Lipsianae habent *anxietate contingat*. Sed MSS. Vatt. *contingit*, quod sequimur; eo sensu, quo illud *confinis est*.

ibid. l. 26. *Sensuum nitorem*) Sic Acidalius coniectura praecepit, quod in MSS. Vatic. est pro *summum nitorem*.

ibid. l. 30. *Plenitas est*) Vulgo male *planitas*; insolita vox, neque apta. Sententiae certe haud tam sint planae, quam emineant. Sententia *plena* est perfecta & gravis; & opponitur *curtae*. Lipsius volebat *sanitas*.

Pag. 104. *l.* 16. *Exprome nobis*) Sic Acid. pro *exprime nobis*. Rec. Ernestius.

ibid. l. 21. *Ratio temporum collegerit*) Noli cum aliis tentare *ratione temporum collegerit*, sc. Aper. Ratio temporum, Chronologia, directe *colligere* dicitur, quod ope eius colligitur. Non solus Aper id collegerit, sed quisque gnarus temporum.

ibid. l. 26. *Ante centum annos*) Cod. Mureti addit *intra*; unde Schurzfl. vult *& ultra*.

Pag. 105. *l.* 1. *Repugno sic, quo minus fatear*) Vulgo *repugno, si cominus fatear*; sed ante Lips. habebant libri *repugno, si quo minus fatetur*; unde nostrum, s. veritatem ipsam invenimus. Ita Cic. de Orat. I, s. 60: *non repugnabo, quo minus omnia legat*.

ibid. l. 13. *Adstrictior Calvus*) Ante Lipsium *at tristior Calvus*. Is ex MSS. *at strictior* dedit; Acid. perfecit *adstrictior*, quod Ernest. rec.

ibid. l. 21. *Et supersunt*) MSS. Vatt. *& sunt*.

ibid. l. 30. *Quod ad Ser. Galbam & C. Laelium attinet*) Laelium tamen haud nominaverat Aper.

Pag. 106. *l.* 1. *Non destitit*) Broter. ex ed. Beroaldi rec. *desistit*.

ibid. l. 8. *Adeo melius est*) Sic libri Vatic. Vulgo ex coni. Pichenae *adeo malim;* cum iam ante ipsum legeretur *adeo melius*, fine *est*.

ibid. l. 20. *Tenere dicere*) Sic Lipsius prudenter rescripsit pro *temere dicere*. Cf. Cic. in Pis. 36, *saltatores teneri*.

ibid. l. 25. *Plus vis habeat*) Gron. coniecit *plus irae habeat*. Schurzfl. *puris;* neque hoc absonum foret sqq. Vide Hor. Sat. I, 7. Cf. de Severo, Quinctil. X, 1, 116 sq.

ibid. l. 28. *Plerumque deiectus*) Lipf. ex Cod. Rom. malebat *detectus;* quod Pich. recepit. Putemus *defectus*.

Pag. 107. *l.* 14. *Sed plane post Gabinianum*) h. e. cum tamen plane post Gabinianum (rhetorem aevi Vesp.) sit.

ibid. l. 22. *Paulo ante dixisti* &c.) Verbum *dixisti* vulgo omissum reperit Lipsius in vetere quodam libro. Idque igitur cum verissima emendatione seqq. quae Schelio debetur, recipimus. Vulgo enim editur insane — *paulo ante, plane mitiore eloquentia, & temp. nostrorum, miratus, antequam* &c. Congruunt cum illa Scheliana lectione, quam recipimus, plane ea, quae supra cap. 15 & 16 disseruere Messala & Maternus. Mire vero edd. vett. iungebant *miratus iratus;* quod ultimum expunxit Rhen. nec prius correxit.

ibid. l. 26. *Apri nostri*) Libri vett. & vulg. *a prima;* pro quo Lipsius rescripsit *Aprina*, quod hodie vulg. Sed I. F. Gron. rectius nobis videtur emendasse, notam scribendi *nri* in *ma* facilius detortam augurans.

ibid. l. 29. *Citra damnum affectus*) Pithoeus legit *citra demum aff.* fortasse *citra dementiam aff.* Cf. Cic. Tusc. III, c. 5.

Pag. 109. *l.* 9. *Infans delegatur Graeculae alicui ancillae*) Cf. Plin. Paneg. 13 extr. *Et Graeculus magister assistit* scil. *exercitationibus*.

ibid. l. 17. *Dicacitati*) Vulgo *libertati*, inepte: quid enim id post lasciviam additum fuerit? Sed Cod. Farnes. habet *bibacitati;* unde nostrum propius abest. Sic apud Quinctil. VI, 3, 41 Coelius: *Siculi quidem, ut sunt lascivi & dicaces. Dicacitas* h. l. opponitur *modestiae* in dicendo; & ex ea obrepit *contemtus & sui alienique*. Inest enim in dicacitate scurrilis urbanitas; cf. Plin. IV, Ep. 25.

ibid. l. 19. *Alienique contemtus*) Heumann. scribit *aliorumque contemtus*.

ibid. l. 21. *Histrionalis favor & gladiatorum equorumque studia*) Cf. Tac. Ann. I, 77; XIII, 25.

ibid. l. 31. *Ambitione salutantium*) Alii malunt *amb. salutationum*.

Pag. 110. *l.* 8. *Auctoritatem habuerit*) Vulgo *habuit*. Nostrum voluit I. F. Gron. ac rec. Ernest.

ibid. l. 9. *Statim dicturus*) MS. Farn. & edd. ante Pich. *statim de* curiis*; Rud. Agric. inde legit *statim docuero*; quod Pich. sqq. habent; Pithoeus *audietis*; rectius I. F. Gron. nostrum coniecit. Sed & sic coniungantur sqq. male vulgo divisa.

Pag. 112. *l.* 12. *Plato altitudinem*) Plinius L. I, Ep. 10, *Platonicam illam sublimitatem & latitudinem* dicit.

ibid. l. 14. *Prout res poscit*) Broter. *poscet*, sine libris.

ibid. l. 17. *Qui non quasdam artes audire*) Lipsius mavult *adire* l. *haurire*.

Pag. 113. *l.* 21. *Ego hanc primam*) Sic e MS. Vat. Broter. dedit pro vulg. *Ergo hanc primam*; quod frustra tuetur Ern.

ibid. l. 27. *His, ut opinor, verbis*) Int. testatur. Sed is in Oratore ad Brutum sic habet: *Fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse*.

Pag. 115. *l.* 4. *Curae oratorum*) Puteol. dedit *circa oratoriam*; unde Lipsius fecit *circo oratorio*; Schelius ipsi accedens mavult *oratorum*; & est in ed. pr. *oratorium*. Itaque rectius praefert *curae oratorum*; quod cum Broterio recipimus.

ibid. l. 10. *Obtinebat*) Sic Broter. ex MS. Vat. pro *tenebat*.

ibid. l. 11. *Sive in iudiciis* &c.) Verba *sive — iurgiis interesse*, omissa Lipsius ex Cod. Farnes. inseruit.

ibid. l. 26. *Ex qua facile deprehenderent*) Ita e MSS. Vatic. Broter. quem & sequitur Ernest. Vulg. *deprehendebatur*.

Pag. 116. *l.* 2. *Ut nec male, nec bene dicta*) Vulg. *ut nec bene dicta*. Nostrum auctius est in MS. Agric. & poscitur a duplici auditorum genere.

ibid. l. 6. *Sub eiusmodi praeceptoribus*) Sic e MSS. Vatt. Broter. & Ernest. Vulgo *praeceptionibus*.

ibid. l. 16. *Uno & vicesimo Caesar Dolabellam*) Conf. quae notavimus ad Vellei. II, 43, p. 197, n. 1.

ibid. l. 24. *L. Crasso*) Praenomen hoc pro *Marcus* restituit Pithoeus & Ernest. dedit.

ibid. l. 25. *Ut ait Cicero*) De Orat. III, c. 24, s. 94.

Pag. 117. *l.* 5. *Suasoriae & controversiae*) Et h. l. verba *controversiae — delegantur*, ob eiusdem vocis reditum a librariis, hinc in edd. vett. omissa, restituit Lipsius ex MS. Farnes.

ibid. l. 8. *Per fidem*) Sic Lips. ex MS. Farnes. restituit pro *perfidiae*; velit tamen *per fidium*; Groslotius *proh fidem*, ut sit indignantis vox. Sed & sic redundat *fidem &*. Nobis in mentem venit *praeter fidem*.

ibid. l. 12. *Vitiatarum electiones*) Respicit (ut Pithoeus observat) ad legem scholasticam, quae *raptarum* dicitur: *Rapta raptoris mortem vel nuptias optet.*

ibid. l. 16. *Cum ad veros iudices ventum est* * *) MS. Farnes. teste Lipsio, magnam h. l. habet lacunam, adiicitque: *hic multum deficit.* Et in MS. Vat. uno magnum spatium interpositum est; alterque notat, sex pagellas deesse. Itaque desunt & finis disputationis a *Messala* habitae, & forsan alia Secundi, & initium illius, quam adstruxit *Maternus*, cuius sunt sqq.

Pag. 118. *l.* 10. *Parabat*) Ita vulg. ex emend. Lipsii pro *probabat.*

ibid. l. 25. *In publicis causis*) Inserimus vocem *causis*, per notam *cis* scribi solitam, eoque prioris vocis fine simili oppressam. Rud. Agric. inserebat *in publ. iudiciis;* quod Lipsio haud displicebat. Nostrum aptius.

ibid. l. 28. *Accedebat: & quomodo disertum haberi*) Vulgo pravissime: *accedebat & commoda. Dis. h.* &c. Sed ed. princ. rectius interpungit ante *& comm.* Saepius autem *quomodo* in *comodo*, uti *quotidie* in *cotidie* a librariis versa. Visum sic iam Acid. Heumann. &c.

ibid. l. 29. *Sic contra mutum*) Vulgo: *sed contra* &c. Nos ad priorem emendationem, recipimus *sic* pro *sed.* Simile est ap. Cic. Tusc. I, 6, *Uti hi miseri, sic contra illi beati.*

Pag. 119. *l.* 6. *Adversaria, quae in antiquariorum bibliothecis adhuc manent*) Vulgo corrupte: *haec vetera, quae & antiquorum b. a. m.* Nos verissimam Schurzfleischii emendationem recipimus.

ibid. l. 8. *Et nunc maxime*) Ernestius *cum maxime.*

Pag. 120. *l.* 3. *Hanc illi famam circumdederunt*) *Famam circumdare* cui, locutionem esse Tacito suetam, observavit iam Acid. Cf. Hist. IV, 11, & Agric. 20 &c.

ibid. l. 14. *Et acrior, quicum pugnas sibi asperas desumserit*) Vulg. male: *eo acrior, qui pugnas sibi a. d.* Nos, ceterorum somniis omissis, verissimam Latini Latinii emendationem Bibl. Tom. II, pag. 37, 6, recipimus. Sic sibi respondent, *quo — tanto* optime. Sed & mox eiusdem Latinii emendationem amplectimur pro vulg. *& illis nobilitatis criminibus* &c. Sermo est de *eloquentia.* Tac. Hist. III, 36 init. eadem formula utitur, *in ore vulgi agere.*

ibid. l. 18. *Ut secura nolint*) Rud. Agric. auctius habet *ut dubia laudent, secura nolint.* Quod quidem explet sensum; & tamen citra eius damnum omitti potest.

ibid. l. 20. *Civitati*) Sic damus pro eo quod vulgo corruptum editur *ita erit*. Rud. Agric. legebat *veritati*. Nos vero recentiorem formam iudiciorum, quae *a re* erat *otiosa* & quieta (cf. cap. extr. & c. 40) aptiorem *civitati* censemus.

ead. Eloquentia tamen) Rud. Agric. legit *eloquentiam tamen* pro vulg. *eloquentia tanto* &c. Sed *eloquentia* elegantius ac vere dicitur *exercere* (*premere*) *forum*, in foro regnare.

Pag. 121. *l.* 12. *Ridiculum fortaſſe videbitur*) Sic monuere Urſinus, Mur. Acid. & rec. Heumann. Ern. pro *videtur*.

ibid. l. 23. *Ipſam quin immo curam*) *Cura* Noſtro dicitur, quae in declamando verſatur, Gr. *μελέτη*. Mox vulgo a Puteol. legitur *& diligentem*. Sed verius noſtrum eſt in ed. Rom. & MSS. Vatic. ac rec. Broter. Heumann. & Erneſt.

Pag. 122. *l.* 13. *Et datum ius*) Quod vulgo poſt haec inſertum erat *quoque*, abeſt a MSS. Vatic.

ibid. l. 16. *Aut Cn. Pompeio abſtinerent*) Sic MSS. Vatt. rectius quam vulg. *abſtinuerint*.

ibid. l. 19. *Hiſtriones*) An *hiſtricis?* velut chori.

ibid. l. 28. *Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretenſem accipimus*) Cf. Vellei. I, 18.

Pag. 123. *l.* 14. *Ut pateretur & leges*) Int. eorundem.

ead. Nec bonae formam eloquentiae Cicero tali exitu penſavit) Vellei. II, 66: *Abſciſaque ſcelere Antonii vox publica eſt, cum eius ſalutem nemo defendiſſet, qui per tot annos publicam civitatis & privatam civium defenderat.*

ibid. l. 16. *Quod ſupereſt antiquis oratoribus forum*) Praeter veteris civitatis libertatem ſ. certamina in Rep. etiam opportunius antiquis oratoribus erat forum eo, quod apud populum crimina iudicabantur. Sic verbum *ſupereſt* h. l. non notat, quod *reliquum* eſt; ſed quod *in cumulum abundare* dicitur. Ter. Phorm. I, 2, 19: *Cui tanta erat res, & ſupererat?* cf. Gell. I, 22. Neque igitur cum aliis h. l. haeremus, aut quidquam tentamus.

ibid. l. 18. *Argumentum eſt. quis enim nos advocat*) Ita habet teſte Lipſio MS. Farneſ. & tamen editores retinent corruptam lectionem *argum. eſt quidem, quod nemo nos adv.* Quis talia diutius ferat, niſi qui miſere pervicax eſt?

ibid. l. 19. *In clientelam*) Sic Pithoeus edidit, probantque Schelius, alii; & tamen retinent vulg. *in civitatem*.

Pag. 124. *l.* 16. *Bono ſeculi ſui*) Sic MSS. Vatic. melius quam vulg. *bonis ſec. ſui.*

INDEX HISTORICUS

INDEX HISTORICUS.

Absolute positi numeri, ad Annales referuntur: quibus H. praefixum, ad Historias. G. libellum de Germania: A. Vitam Agricolae: O. dialogum de oratoribus indicat.

INDEX

B.

O 2

G.

I.

O.

Q.

INDEX